C. XVI. 6.

517447 | B

Torre (M) and Barsarini (G)

~~II XV. 14~~

N. VII. 8

31355

31335

DE PŒNA STUPRI
CUM
PUELLA IMMATURA.
DISSERTATIO
DD. COMITUM
MARCI TORRE
PATRITII VERONENSIS
ET JACOBI BALSARINI
PATRITII METHONENSIS.

ACCEDIT
ELUCUBRATIO ANATOMICA,
DESUMPTA EX OPERIBUS
D. CAJETANI PETRIOLI ROMANI
S. R. M. REGIS SARDINIÆ &c. &c. &c.
CHIRURGIÆ PROFESSORIS,
Una cum Tabula Aere inciſa, & ad Calcem impreſſa.

ROMÆ MDCCLIV.

EX TYPOGRAHPIA GENEROSI SALOMONI
SUPERIORUM FACULTATE.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ARGUMENTUM.

LAte diſſeritur an pro Stupro, patrato cum Puella immatura, de cujus honeſtate non conſtet, Bannimenta, & Statuta Urbis, vel Jus Commune infligat pœnam ultimi ſupplicii, quando non adſunt Circumſtantiæ Aggravantes, Raptus videlicet, Abductionis, aut ſimilium.

Expenditur inſuper quid ſit reſolvendum in Stupro cum Violentia, ſecluſo Raptu, vel Abductione.

Et an ſufficiat Violentia præſumpta, vel interpretative deducta ex eo, quod Puella ſeptimum annum haud exceſſerit, ſed cujus Malitia Aetatem præveniat.

Expenditur hàc occaſione Reſponſum Pauli *in l.* 1. §. *Qui Puero ff. De extraord. crimin.*, & oſtenditur ibidem Stupratores puniri pœna Mortis, non quidem Naturalis, at dumtaxat Civilis, nempe Coercitionis in Metallum.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

F. Maria de Rubeis Patriarca Conſtan. Viceſg.

APPROBATIO.

DOctiſſimam hanc Diſſertationem, ad opportunitatem occurſi caſus Stupri immaturi, magno Studio exaratam, de mandato Reverendiſſimi Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri diligenter perlegi, & in ea nil prorſus reperire valui, quod Sacroſanctæ Religioni, Apoſtolicis Conſtitutionibus, Sacris Canonibus, Conciliis, Sanæ Doctrinæ, ac bonis moribus adverſetur; Sed magiſtraliter, ac præcipua eruditione ea, quæ ad materiam pertinent pertractata, comperii.

Datum Romæ hac die 14. Martii 1754.

Jacobns Magnani Advoc.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Socius.

DIS-

DISSERTATIO.

MIrabitur non Nemo, nos aliis plurimis curis implicitos, de Stupro immaturo in præſens aggreſſos eſſe Diſſertationem; Sed rem non modo licitam, ac honeſtam, verum etiam humanitatis, ac miſericordiæ plenam nos agere facillimè deprehendet, ſi eumdem non pigeat animadvertere, quod id agimus occaſione ſumpta, qua Pauper, & infelix Homo, à Fiſco Inquiſitus, de præmemorato delicto inſcribitur; Unde ſi eidem, hac de re diſſerentes, aliquid levaminis fuerimus fortaſſe allaturi, Jurium noſtrorum veſtigia ſequutos eſſe Nemo non arbitrabitur, quæ nos ad pium iſtud opus impellunt, Inquiſito ipſo invito, ac ad mortem feſtinante, interimque ſupplicium fore differendum admonent, ad Reſponſum ſatis clarum *Vlpianì in L. Non tantum 6. ff. De Appellat. & Relat. ibi* = *Non tantum ei, qui ad ſupplicium ducitur, provocare permittitur, verum alii quoque, nomine ejus: Non tantum, ſi ille mandaverit, verum quiſquis alius provocare voluerit. Neque diſtinguitur utrum neceſſarius ejus ſit, necne. Credo enim humanitatis ratione omnem provocatorem audiri debere. Ergo & ſi ipſe acquieſcit ſententiæ, nec quærimus cujus interſit. Quid ergo ſi re-*

ſiſtat,

ſiſtat, qui damnatus eſt, adverſus Provocantem, nec velit admitti ejus appellationem, perire feſtinans? Adhuc putem differendum ſupplicium.

2. Firmiter itàque ſuſtinemus, Reum inquiſitum de Stupro immaturo (*ſecluſis aliis aggravantibus circumſtantiis*), non eſſe puniendum Suſpendio, ſed mitiori pœna infra illam Naturalis Mortis, tum attento jure ſtatutario, & Bannimentorum Urbis; tum attento Jure Communi, tum etiam attentis nonnullis aliis peculiaribus animadverſionibus, circa particulare factum, cujus occaſione diſſertationem iſtam in lucem edimus.

3. Et quoniam ſuperiùs in Theſi noſtra illam ſuperaddidimus limitationem, =*ſecluſis aliis aggravantibus circumſtantiis*= Idcircò antè omnia diſquirendum eſt, an inter iſtas connumeranda ſit ea ætatis imbecillitas, in qua agatur de Stupro immaturo, patrato in Puellam, quæ nondum complevit ſeptennium; & cum in illa ætate, Puer non intelligat, quid agat, nec habeat velle, neque nolle, Stuprum præſumatur cum vi patratum, ideòque Suſpendio veniat plectendum, uti ex ſententia *Boſſii de Coitu damnato. Num. 68. tradunt Farinaccius, Rainaldus*, cæterique Doctores in contrarium allegari ſoliti.

4. Hujuſmodi autem Præſumptio, ſi veritatem diligimus, nequit dici Præſumptio Juris, & de Jure, minuſque dici valet ſimplex Præſumptio Juris, quia nullum Verbum de hac Præſumptione in toto corpore Juris habetur, & Reſponſa Prudentum, quæ loquuntur de Stupro immaturo commiſſo ſive in Puellam liberam, ſive in Ancillam loquuntur indefinitè, nullam facientes diſtinctionem, an Puella Stuprum paſſa fuerit Major, vel Minor Septennio, ſed dumtaxat, conſiderant eſſe Immaturam, ſeu adhuc non Viripotentem, uti videre eſt in famigerato Reſponſo *Pauli in L. Si quis aliquid 38. §. Qui nondum ff. de Pœnis*. Ubi agitur de Stupro Immaturo cum Puella Libera patrato; ſicuti quoque juvat recolere Reſponſum *Ulpiani in l. ſi Stuprum 25. ff. de injuriis*. Ubi agitur de Stupro Immaturo cum Ancilla commiſſo.

5. Cum itaque nulla Lex in toto Corpore Juris reperiatur, quæ hujuſmodi diſtinctionem ætatis in Stupro Immaturo, an

Puel-

Puella ſit Major, vel Minor ſeptennio, præſeferat; Planum eſt Nefas haberi, novas & in Jure incognitas inducere præſumptiones: Sacris enim Canonibus, & Imperiali auctoritate prohibemur, Aliquem etiam ex vehementibus ſuſpicionibus condemnare, ut clamat Innocentius III. *in cap. litteras de Præſumptionibus*. Ibi = *Quo circa mandamus eum propter ſolam ſuſpicionem [quamvis vehementem] nolumus illum de tam gravi crimine condemnari* = & conſonat *Ulpian. in L. Abſentem* 5. §. *Sed nec ff. de pœnis* ibi = *Sed nec de ſuſpicionibus debere Aliquem damnari Diu. Trajan. Aufidio Severo reſcripſit : Satius enim eſſe impunitum relinqui facinus Nocentis, quam Innocentem damnari* = faciuntque concordantes per *Gloſſam* adducti in verbo *damnari*, Reumque gravatum, quamtumvis vehementibus ſuſpicionibus, extraordinaria tantum pœna fore plectendum apertiſſimè docent *Guazin. ad defenſ. Reor. defenſ.* 30. *cap.* 41. *Tiraquell. de pœnis temporan. caſ.* 27. *num.* 4. *Baſilico deciſ.* 1. *Crimin. per tot.*

6. Eòque fortiùs, quando Stuprum probatur ex ultronea Confeſſione Rei, atque examine Puellæ Stuprum paſſæ, omnemque violentiam excludentis. Fatetur enim quod cum ſederet prope Januam Tabernæ Carcerati, ab eodem vocatà, cum ad Eum fuiſſet ingreſſa, illam fuit amplexatus, fecitque eam ſedere ſuper una ex ſuis Coxis, nullamque dicit ſibi factam violentiam, ſed ſolum ob conceptum dolorem, ex introductione Membri Virilis, cæpiſſe flère, ex quibus clare patet non poſſe habere locum præſumptam violentiam, per Fiſcum indebitè prætenſam. Quamobrem cum nec ſpontanea confeſſio Rei, nec examen Puellæ præſeferant ullam violentiam, nec Fiſcus habeat ullum aliud fundamentum ſuæ intentionis, nequit has probationes ſcindere, illas acceptando pro convincendo crimine, illaſque rejiciendo, in eo, quod excludunt violentiam.

PARS

PARS PRIMA.

Attento Jure Statutario, vel Bannimentorum Urbis, nequit Inquiſitus condemnari ad Mortem.

7. POſtquam oſtendimus præſumptam vim, nec probari, nec probatam ſufficere, ad effectum infligendi pœnam ordinariam, deſcendentes ad examen noſtræ primæ partis, circa Jus Statutarium, tria tenetur probare Fiſcus: Alterum quod in prætenſo Stupro fuerit violentia vera, & non interpetrativa; Alterum veró debet concludenter probare honeſtatem Puellæ Stupratæ: Tertium denique quod Stuprum in Puella immatura comprehendatur á Statuto, vel Bannimentis Urbis.

8. Reſpectu primi requiſiti; littera Statuti *libro* 2. *cap.*51. = *Si quis Stuprandi cauſa honeſtæ Mulieri, vel Puero vim intulerit* = Fiſcus proindé tenetur probare fuiſſe factam violentiam in Mulierem, & non quælibet violentia ſufficit, ſed debet eſſe *externa*, & inſimul *atrox*, adeóque, non eſt ſufficiens violentia *ficta*, vel *interpetrativa*, uti in terminis conſimilis Statuti docuit *Boſſius in tit. de rapt. Mulier num.*5. ibi = *Ad quod Statutum adverte; ut aliquid operetur debet denotari, ut etiam ipſa violentia extrinſeca neceſſaria ſit.*

9. Cum Boſſio concordat Rainaldus *in ſuis obſervat:cap.*22. §.1. *ad* 10. *num.*9. ubi ait = *Advertendum quod ficta, & interpetrativa violentia non ſufficit, ſed debet eſſe vera in Perſonam Mulieris, vel Parentum* = *Cremon. Conſil. Crimin. diverſ.* 40. *num.*4. *lib.*1. *in parvis. Farinacc. Conſil.* 33. *num.*42. & 46. qui ait eſſe neceſſariam violentiam, extrinſecús allatam, & citat Boſſium de *Rapt. Mulier. num.*5.

10. Qua de re cum Fiſcus nullam adduxerit probationem prætenſæ violentiæ, nec poſſit adducere, quia illam excludit

tota-

totaliter tum examen,ſeú conſtitutum Carcerati, tùm illud prætenſæ Stupratæ Puellæ, uti fuit ſuperiùs animadverſum, quomodò hodiè poterit Fiſcus, ſub pretextu præſumptæ violentiæ, prætendere factum eſſe locum Statuto, ſeu Bannimentis Urbis, cum non agatur de præſumptione *Juris*, ſed tantum de præſumptione *Hominis*, ab aliquibus Doctoribus inventa; quæ ſuos habet contradictores? Nam etiam per datam hypotheſim (quam ſemper negamus) ſi ageretur de vera præſumptione Juris, adhuc Fiſcus non relevaretur ab onere probandi hujuſmodi violentiam, quia ſi in civilibus,ad probationem eorum, quæ ſunt fundamentum noſtræ intentionis, non ſuffragatur ſimplex Juris præſumptio, ut plurib. in locis probat. *Card. de Luca potiſſimum de Feudis diſc.*133. *num.*19. ibi = *Quia in Rota & Curia receptum eſt, ut in Actore non admittatur probatio præſumpta ex ſola præſumptione Juris in iis, quæ ſunt fundamentum ſuæ intentionis* = ut per Adden. ad Gregor. *deciſ.*53. *deciſ.*202. *num.*4. *part.*5. *recen.* & ſignanter quod fundamentum propriæ intentionis non remaneat comprobatum ex ſola, & ſimplici Juris præſumptione, ſed vera, ac concludens exigatur probatio, pluribus adductis firmavit. *Rota deciſ.*70. *n.*8. *part.*16. *recent.* ubi concordantes.

11. Si inquam in civilibus, ubi leviores ſufficiunt probationes,non admittitur probatio,in ſola Juris præſumptione conſiſtens, ſed requiritur probatio illius qualitatis, in qua ſe fundat Actor; ergó multo magis in criminalibus, ubi requiruntur probationes luce meridiana clariores. *L. fin. C. de probationibus*. Quomodo igitur Fiſcus hodiè poterit, innixus ſimplici præſumptioni aliquorum particularium Doctorum, contra Jus nitentium, prætendere eſſe locum Statuto, & Bannimentis, & comdemnare hunc infelicem Hominem ad mortem, ex ſola, & ſimplici præſumptione violentiæ, contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum, & Legum civilium, jubentium neminem eſſe ex præſumptionibus, licet violentis, condemnandum? uti ſuperius diximus n.5.

12. Eó autem fortiùs, quià, ut intret pœna Bannimento-

 rum,

rum, omninó requiritur, ut violentia ſit *atrox*, ut explicat idem *Rainaldus obſervat. ad cap.23. §.1.2. & 3. num.33.* ibi = *Advertendum in terminorum cognitione ad hoc, ut intret pœna Bannimentorum, imponentium pœnam mortis naturalis, violentia debet eſſe atrox* = ideſt quæ ſit cum armis, attenta lege Julia de vi publica *§. Item Lex Julia inſtitut. de public. Judiciis* =. Unde inpræſentiarum deberet fieri non ſolum præſumptio violentiæ, ſed etiam fieri præſumptio, quod fuerit violentia *atrox*, & ſic fieret præſumptum de præſumpto, quod non admittitur in Jure noſtro.

13. Sed omnis tollitur amaritudo, ſi animadvertatur, Doctores, punientes Stuprum immaturum, in Puellá commyſum, quæ eſt in ſexto, vel in ſeptimo anno ſuæ ætatis, ob violentiam præſumptam, omnes tantum damnare Stupratores ad mortem, ubi Puella Stuprata adeó fuerit rupta, & fracta in Pudendis, ut amplius non ſit apta ad concipiendum. *Sabell. in verbo Stuprum num.5. Anton. Matthæus de crimin. tit.3. de Adulteriis cap.5. de Stupro num.8. fol.412. & paſſim.* In caſu noſtro Puella Stuprata hoc feré minimum paſſa eſt damnum, immò nullum, vel admodum leve, cum eádem horá ſecuti Stupri, pedibus propriis iverit ad Tribunal Gubernii, & pariter redierit ad Domum propriam, & læta, & hilaris per vias, & plateas diſcurreret, ſaliendo, jocando, uti conſueverat ante paſſum Stuprum, juxtá ea, quæ deponunt octo Teſtes, quos uti rité, & recté examinatos Fiſcus habuit.

14. Sicuti Fiſcus deficit in primo extremo neceſſariæ probationis violentiæ, itá pariter deficit in ſecundo extremo circa Honeſtatem Puellæ, ad quam omnino probandam aſtringitur, nec Fiſco ſufficit allegare ſolitam præſumptionem in *l. merito ff. pro ſocio*, quia hæc præſumptio habet locum in delictis, ſeu in dolo, nempé ut in dubio non præſumatur dolus, vel delictum, & quia hic agitur de qualitate Honeſtatis, quæ omninó probanda eſt a Fiſco, ut poſt Boſſium *tit. de plurib. violent. num.68.* probat. *Rainaldus obſervat. ad cap.22. §.1. uſque ad* 10. *num.63.* ibi = *Sed an qualitas honeſtatis ſit a Fiſco, vel ab adhærente probanda, prout regulariter fieri debet, quando*

Lex

Lex, vel Statutum hanc qualitatem exigit = ubi concludit = *Sed contrarium eſt verius, quia verbum adjectivum* = *HONESTA* = *hic poſitum, non debet ſtare otioſum, pro ut nullum verbum in Lege, vel Statuto poſitum debet eſſe tale* =

15. Idem Rainaldus loco citato num.*66.* ita concludit ibi = *Propterea quando agitur ad vindictam publicam, & ad imponendam pœnam corporis afflictivam, HONESTAS debet probari à Fiſco, & à parte, quia eſt qualitas requiſita a Lege, & Statuto* =.

16. Nec obſtat Fides Parochi atteſtantis de honeſtate Puellæ, per Fiſcum in proceſſu informativo conquiſita, quia hæc Fides funditus everſa remanet ab unanimi depoſitione dictorum octo teſtium, quos Fiſcus habuit pro ritè, & rectè examinatis, & Fides Parochi nihil loquitur de Matre, & Avia, ſeu de earum artificio, & mercimonio, ob quod inter viles, & abjectas Perſonas, in quibus non cadit ratio Caſtitatis, recenſendæ ſunt. Mater ſiquidem, & Avia hujuſce Puellæ ſunt pauperes, & exercent mercimonium publicum, in emendis veſtimentis veteribus, & cariori pretio vendendis, ut vulgò dicitur = *Rigattiere* = Unde videntur concurrere ea, quæ conſiderat *Boſſius* ad probandam inhoneſtatem *dicto tit. de plurib. violent. num.*68. ibi = *Facit etiam ad dictam probationem, quod paupercula mulier præſumitur facile in corpus ſuum peccare l. penult. cod. de ſpectac. lib.*11. *Item malè præſumitur de muliere, quæ mercimoniis publicis præeſt, & de aliis, quæ habentur in l. humilem cod. de inceſt nupt.*

17. Hujuſmodi autem Perſonæ, quæ exercent mercimonium minutum, nempe emendi res, ut illas vendant cariori pretio, inter Perſonas ſordidas, & abjectas connumerantur, uti probat *Lucas de Penna in l. maximarum lib.*10. *c. de excuſatione munerum. num.*7. Facit *Gloſſ. in l.*2. *in verbo* = Hæc = *ff. de Nundinis*. ibi = *Ideſt victualia ab Agricolis Illata, qui emit & poſtea carius vendit, quales ſunt, tricolæ* = facit etiam *Perez. in tit. c. de infamibus lib.*10. *in fin.* ut inter ſordidas, & abjectas perſonas enumeret illos infimos mercatores, qui in eadem civitate emunt merces minori pretio, & vendunt cariori.

 18. Qua

18. Qua de re cum Mater, & Avia ſint humiles, & abjectæ perſonæ, pariter, & ejus filia debet cenſeri ejuſdem conditionis, & in ſordidis, & abjectis, ſeù humilibus perſonis, non cadere rationem Caſtitatis, eſt Text. clarus in *l. Quæ Adulterium 29. c. ad legem Juliam, de Adulteriis in fin.* ibi = *Hæ autem immunes a judiciaria ſecuritate, & Stupri, & Adulterii præſtantur, quas vitæ vilitas dignas legum obſervatione non credidit.* =

19. Concordat etiam Farinacc. de delictis carnis. *quæſt.* 136. *num.* 100. ibi = *Eſt præſumptio inhoneſtatis illa, quæ oritur ex paupertate mulieris, quia paupercula facile in corpus ſuum peccare præſumitur* = idem Farinacc. *num.* 101. ibi = *Idem de muliere, quæ mercimoniis publicè præeſt.*

20. Eò autem magis urgent hujuſmodi præſumptiones inhoneſtatis in præſentiarum, quià Puella, de quà agitur, erat conſueta ire ſola per Tabernas, ad emendum Vinum, & cætera Victualia, ſicuti pariter ſola conſueverat diſcurrere, ſeu vagare per Vias, non ſolum de die, ſed etiam de nocte, petere ab Hominibus, ut ſibi donarent pecuniam, uti deponunt octo Teſtes ſupradicti; Nam Mulier honeſta, ſeu honeſta Virgo, non debet vagari per vias, ut optimè ad noſtrum intentum pluribus rationibus ponderat *Lucas de Penna in l. Ne cuj. c. de Comeatu num.* 18. *lib.* 12. ibi = *Ad Virginem quippè ſatis pertinet, ut incluſa Domi conſiſtat.* 2. *Mac. cap.* 3. *Sed & Virgines, quæ concluſæ non ſunt, non vagentur, ut Dijna, filia Jacob, quæ a ſuis egreſſa, ab alienis rapta, & oppreſſa eſt. Gen.* 34., *& facit in Proem. ff. §. Tertii & §. de Arb. l. fin. & de Jud. C.* 2. *lib.* 6. = *Honeſtas quidem vitæ in muliere, viris extraneis ſe monſtrare non patitur in Auc. ut lit. jur. §. Si vero mulier. Ne contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant* 5. *de proc. maritus. Nam fœminas, quas morum honeſtas, mentiſque ſolertia commendat, propter ipſarum Pudorem, & Verecundiam Cætui publice demonſtrari non cogimus* 5. *de hiſ. qui ve: æta: l.* 2. *§.* 1. *bene facit* 5. *de of. di. Ju. l.* 1. *de cuſt. re. qm̃ in fi. & Auc. ibi poſita.* =

21. His etiam addatur optima conſideratio, quam fecit

bo. me.

bo. me. Scaramuccia, tunc Pauperum Advocatus in ſuo nuperrimo reſtrictu, omnigenâ eruditione, ac doctrina refertiſſimo §.53. ubi exponit, qud elapſis annis ad expurgandam civitatem ab excurrentibus, vagantibuſque fœminis, quas vulgus nuncupat *Mignotte*, plurimæ, minoris quoque ætatis, compertæ fuerunt jam corruptæ, vagationem hujuſmodi exercentes per plateas, cauponas, & ſimilia loca, ex quo exiſtimamus, Fiſcum, non poſſe probare honeſtatem talis Puellæ, uti tenetur, ad formam Statuti, & Bannimentorum Urbis, eo potiſſimum, quia Tabernaria, & filia Tabernariæ inter humiles, abjectaſque perſonas recenſent Imperatores *in l. Humilem 7. C. de incert. nupt.* ibi = *Humiles vero, abjectaſque perſonas, eas tantummodo mulieres eſſe cenſemus, ancillam, ancillæ filiam, libertam, libertæ filiam, tabernariam, tabernarii vel lenonis, aut arenarii filiam, aut eam, quæ mercimoniis publicè præfuit.*

22. Deficit etiam tertium requiſitum, nempe, Statutum, & Bannimenta; quia nunquam loquuntur de muliere immatura, unde cognitio remanet ſub diſpoſitione Juris communis, uti notorium eſt, & ut probant auctoritates relatæ in dicto reſtrictu D. Pauperum Advocati §.2.

23. Nec obſtat, quod ſub nomine mulieris, ſeù fœminæ, veniat etiam Puella immatura, quoniam ſi ſexum, & futuram brevi potentiam, reſpiciamus, impuberes fæmellæ quoquè, etiam ſunt mulieres appellandæ, & ipſæ comprehenduntur etiam ſub genere fœmineo, attamen prout attinet ad communem uſum loquendi, hujuſmodi Puellæ Infantes non veniunt ſub nomine fœminarum; conſonant etiam Leges, & Edicta, quæ ſub appellatione mulieris non comprehendunt fœmellas, ſeu virgines immaturas, ſed tantum virgines viripotentes ad text., expreſſum *in l. mulieris 13. ff. de verbor. ſignificat.* ibi = *Mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur* = ut bene explicat *Cujacius ad hanc legem*, ubi ait non comprehendi mulierem immaturam in Legibus, ſeu Edictis, in quibus agitur de corruptione, ſeu de Prægnantia mulieris, quià mulieres impuberes, ob ætatis imperfectionem, non cen-

ſentur

ſentur comprehenſæ, ut explicat quoque *Geddæus in dicta l. mulieris n.6. ff. de verbor. ſignificat*, & antiqui juriſconſulti, Architecti Pandectarum, quando voluere comprehendere fœminas immaturas, expreſſè eas nominavere, uti ſupra fuit demonſtratum.

24. Multòque minus in contrarium urget, ſi diceretur fortaſſè, quod ſub nomine Puellæ, Statutum intelligat etiam Puellas immaturas, ſeu Viri non potentes, ut in *lib.2. cap.51.* ibi = *Si quis, Stuprandi cauſa, honeſtæ mutieri, vel Puero vim intulerit, vel invitis Parentibus Puellas, vel Pueros abduxerit, aut alias honeſtas Malieres, & Pueros rapuerit* = Nam ſufficeret reſpondere: Cum Statutum expreſſè non loquatur de Puellis Immaturis, res remaneat ſub diſpoſitione Juris communis, ut paſſim affirmant Doctores.

25. Sed tollitur omnis difficultas ex lectura ejuſdem Statuti; nam ponit duos caſus: primo enim dicit = *Si quis, Stuprandi cauſa, honeſtæ mulieri vim intulerit* = Sub hiſce verbis non includitur Puella, quæ eſt immatura, ſeu non Viripotens. Vulgata *l. Mulieris 13. de verbor. ſignif.* ſecundò: Statutum ponit alterum caſum ſub illis verbis, nimirum = *Vel invitis Parentibus Puellas, aut Pueros abduxerit, aut alias honeſtas Mulieres, & Pueros rapuerit, aut rapi fecerit* =. Nam quando etiam, per malam hypotheſim, diceremus ſub nomine = *Puellæ* = Statutum intellexiſſe comprehendere tum Puellas viripotentes, tum etiam immaturas, ſeu Viri non potentes; adhuc eſſemus extrà difficultatem, quià impræſentiarum nulla adeſt abductio, nullus adeſt raptus, ut liquet ex examine, ſeu Conſtituto tam Carcerati, quam illo Puellæ prætenſæ Stupratæ, & Fiſcus, tanquam Actor, teneretur probare fuiſſe hanc Puellam abductam, vel raptam, ut eſſet locus Statuto.

PARS

PARS ALTERA.

Attento Jure communi, nequit Carceratus ad ultimum ſupplicium condemnari, ſed ad mitiorem pœnam, arbitrio Judicantium.

26. CONſtito ad evidentiam inpræſentiarum non habere locum Statutum, neque Bannimenta Urbis, remanet, ut æquali claritate demonſtremus, Carceratum non poſſe condemnari ad ultimum ſupplicium, attentis Legibus Juris Civilis. In qua profectò quæſtione ſupplicamus animadvertere ad ea, quæ ſcripſit Boſſius *tit. de coit. damn. num.68.* ubi, loquendo de Puella Impubere ſic ait = *Sed ſi non ſit doli capax, & ſit in ſexto, vel ſeptimo anno, Stuprum non poteſt dici ſine vi, quia conſenſus non adeſt, & natura repugnat* = ideo perfecto flagitio puniri pœna mortis per text. *in l.1. §. Qui Puero ff. de extraordin. crimin.*

27. Rainald. obſervat ad *cap.23. §.1.2. & 3. num.46.* ſequitur ſententiam Boſſii, vigore dicti textus in §. *Qui Puero*, quem exiſtimat adeò clarum, ut non ſit locus contrariæ interpetrationi.

28. Sicuti quoque cæteri Doctores, exiſtimantes Stuprum, cum vi commiſſum, puniendum eſſe pœna mortis naturalis, pro majori parte ſe fundant in Auctoritate dicti textus in §. *Qui Puero*.

29. Nos autem, ut recto ordine, æqualique claritate obfirmemus, attento Jure communi, non eſſe locum ſuſpendio, tria nobis occurrunt, non minus rigoroſo, quam ſeparato examine perpendenda. Trutinandum itaque eſt celeberrimum Pauli reſponſum in toties laudato paragrapho *Qui Puero*. Deinde, ex veriori Doctorum ſententia, Stuprum cum vi, ſed ſine raptu

ptu, extraordinaria tantum pœna, arbitrio Judicium, fore plectendum demonſtrare oportet; Ac demum nullam in hoc Stupro adfuiſſe violentiam, minuſque eſſe locum violentiæ præſumptæ evidentiſſimum eſſe demonſtrabimus, quia res eſt cum Puella, cujus malitia aetatem ſupplet.

§. I.

Expenditur Reſponſum Pauli in l. 1. *§. QUI PUERO ff. DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBUS, & oſtenditur non loqui de Stupro, cum vera violentia patrato, neque Stupratores punire pœna mortis naturalis, ſed tantum Civilis nempe Coercitionis in Metallum.*

30. Bartolus exiſtimavit in facti ſpecie hujus textus, præſupponi, quod, vel abducendo comite, vel interpellando mulierem vis facta fuerit. Boſſius de *Coit. damn. n.*64. ſequutus eſt *Bartolum*, & *Boſſium* ſunt ſequuti *Farinaccius*, & ipſemet Rainaldus obſervat. *ad cap.*23. §. 1. 2. & 3. *num.*82. ubi docet verbum = *Interpellaverit* = accipiendum eſſe de vi vera, non de ſola perſuaſione.

31. Bertazol. conſil.495. ibique *Adden.* exiſtimavere hic agi de Stupro contra naturam, eo modo, quo committitur in maſculo, quia in muliere non poteſt cadere verum Stuprum, prout in Puella.

32. Decianus *tract. crimin. lib.*8. *cap.*15. *num.*7. dixit Boſſium hunc textum non vidiſſe, cum nullum verbum in eo habeatur de violentia, ſed ſimpliciter de ſuaſione, & corruptione, ideòque Bartolum malè exiſtimaſſe factam fuiſſe violentiam,

tiam, vel in abducendo Comite, vel in interpellanda Muliere.

33. Antonius Matthæus de Criminibus *lib.*48. *tit.3. cap.5. de Stupro num.*8., reiicit Reſponſionem Bartoli dicendo = *Nihil hic Bartoli reſponſionem Moror, qui exiſtimavit Paulum de Stupro violento loquutum fuiſſe: Reclamant enim verba* =

34. Inter harum opinionum Anfractus juvat expendere ſingula verba Reſponſi ejuſdem Pauli, ſed prius duo ſunt præmittenda: Alterum quod tempore Pauli Juris Conſulti Auctoris Textus, in dicto §. *Qui Puero*. Stuprum cum Puero, ſicuti & Adulterium non erat capitale; Nam Stuprum cum Maſculo fuit redditum capitaliſſimum à Conſtante, & Conſtantio, filiis Imperatoris Conſtantini *in leg. Cum Vir nubit. Cod. ad leg. Jul. de Adulter.* Adulterium autem fuit redditum pariter lethale à Conſtantino *in leg. Quamvis eodem*, ſeu verius ab ejus filiis Conſtantio & Conſtante *leg.*4. *Cod. Theodoſ. quorum appellat. non recipian*, proindèque à prædictis Chriſtianis Imperatoribus, poſt defunctum Paulum, per Seſquiſæculum, & ultrà, tàm Adulterium, quàm Stuprum fuit decretum puniri ultimo ſupplicio: Alterum verò notandum occurrit; Tribonianum, ſeù Juſtinianum Reſponſum Pauli truncatum retuliſſe *in dicta leg.*1. §. *Qui Puero ff. de extraordin. crimini,* uti obſervavit Antonius Auguſtinus Emendationum *lib.*3. *cap.*9., & etiam Gloſſella Marginalis *in dicto* §. *Qui Puero* in Exemplari impreſſo Venetiis 1606 ibi = *Libro quinto ſententiarum Pauli* legebatur = *Præteſtato Stuprum, aliudvè flagitium abducto* =

35. Ut hujuſcè variationis Veritas appareat, oculis ſubiicimus verba, quæ habentur utroque loco; Legitur ſiquidem *in Pandectis in dicta leg.*1. §. *fin. ff. de extraordin. Crimin.* ibi = *Qui Puero Stuprum, abducto ab eo, vel Corrupto Comite, perſuaſerit: Aut Mulierem, Puellamvè interpellaverit, quidvè Impudicitiæ gratia fecerit: Domum præbuerit, pretiumvè, quo id perſuaderet, dederit, perfecto flagitio punitur Capite, imperfecto in Inſulam deportatur; Corrupti Comites ſummo ſupplicio afficiuntur* =

 36. Apud

36. Apud Paulum *lib.5. Sentent. tit.4. de Injuriis n.14.* ità legitur = *Qui Puero prætestato Stuprum, aliudve flagitium, abducto ab eo, vel corrupto Comite, perſuaſerit, Mulierem, Puellamvè interpellaverit, quidvè, corrumpendæ Pudicitiæ gratiâ, fecerit, domum præbuerit, pretiumvè, quo id perſuadeat, dederit, perfecto flagitio Capite punitur, imperfecto in Inſulam deportatur: corrupti Comites ſumme ſupplicio adficiuntur* =

37. Sequendo itaque lecturam hujus Textus juxtà verba Pauli, mox recitata, planum eſt, ex illis verbis = STUPRUM, ALIUDVE FLAGITIUM = Paulum agere tùm de Stupro in Puero, tùm de Adulterio in Muliere, tùm de Stupro in Puellâ, & conſequenter erroneam fuiſſe ſententiam Bertazoli, & ſequacium. Atque in hoc nullam cadere poſſe difficultatem credimus, quià concordat ipſamet *Gloſſa in dicto §. Qui Puero*, in verbo = *punitur* = *ff. de extraordin. crimin.* ibi = *Punitur* = *hìc ergò de extraordinario crimine tractat, ſcilicet de Adulterio, & Stupro, vel dic* - PUNITUR - *ideſt, puniri ſolet, & facit Inſtitut. de public. Judic. §. Item Lex Julia* =; Hinc ex lecturâ ejuſdem Pauli triplicia in evidentem veritatem emergunt. Primum nimirùm hìc non agi de Stupro immaturo. Alterum verò, quod multò minùs agitur de Stupro cum violentiâ, ſed perſuaſione dumtaxat, & malis Artibus, ſeù Illecebris commiſſo. Tertium deniquè, quod Paulus dicens = *Perfecto flagitio Capite punitur* = non loquitur de pœnâ ultimi ſupplicii, ſed de pœna mitiori, quæ immediatè ſubſequitur ultimum ſupplicium, nempè ut ſit deportatio in Metallum, quemadmodum liquet ex infraſcriptis.

38. Prò eô, quod attinet ad primùm; nempè hìc non agi de Stupro immaturo, ſatis id convincitur ex eô, quod Paulus Stuprum in Puellam Viripotentem ſecernit, & ſeparat ab eô, quod patratum fuit in Puellâ immaturâ, & de immaturo agit idem Paulus *lib.5. ſentent. tit.22. de ſeditioſis. num.4.* ibi = *Qui nondum Viripotentes Virgines corrumpunt, humiliores in Metallum damnantur, honeſtiores in Inſulam relegantur, aut in exilium mittuntur* = quæ verba fideliter retulit Tribonianus *in leg. ſi quis aliquid. §. Qui nondum. ff. de Pœnis*.

39. Hæc

39. Hæc veritas evidenter apparet ex illis verbis = *Qui Puero Prætextato* = Nam Pueri Prætextati, apud Romanos, erant in ætate ſuprà duodecimum, immò ſuprà decimum quartum. Nomine autem Pueri, ut habemus ex eodem *Paulo in leg. Pueri appellat.* 204. *ff. de Verbor. ſignificat.* triplex habebatur ſignificatio; Nempè quoad Statum, ſeù Conditionem ſervilem; Altera, quoad ſexum; Altera, quoad Ætatem. *Ætas* autem *Puerilis* uſque ad Annum decimum ſeptimum extendebatur, ut habemus ex Gellio *Noctium Atticarum lib.*10. *cap.*28.

40. Ut autem cognoſceremus de quô Puerô ageret Paulus, ſeù in quâ ætate eſſet conſtitutus conſultò dixit = *Puero Prætestato* = de Pueris, vel de Puellis Prætextatis facit mentionem Juſtinianus *in* §.1. *Inſtitut. de Iniuriis* ibi = *Sivè quis Matrem familias, aut Prætextatum, Prætextatamvè adſectatus fuerit.*

41. ULPIANUS nos edocet Prætextatos egreſſos fuiſſe ætatem Impubertatis, ſeù effectos jàm Puberes, uti habetur *in leg. Deinde* 3. §. *fin. ff. de Liber. exhiben.* ibi = *Fæminam Prætextatam, eumque, qui proximè Prætextati accederet, interìm apud Matres familias deponi Prætor jubet, proximè autem Prætextati ætatem accedere eum dicturum, qui puberem ætatem nunc ingreſſus eſt* = Quodque Romani facti Puberes induerent Prætextam, & eam deponerent in decimo ſeptimo anno adnotavit Budæus *in leg. fin. ff. de Senator.*, & latè apud *Macrob. Saturnal. lib.*1. *cap.*6. ubi habetur origo Prætextæ.

42. Ex his igitur, quæ hùc uſquè perpendimus, cum clarum ſit, in dicto Textu non agi de Puero immaturo; Sic quoquè clarum eſt, dum Paulus dixit = *Mulierem, Puellamvè interpellaverit* = intellexiſſe de Puellâ Viripotente, quiâ nomine Mulieris, venit tantum Puella Viripotens *leg. Mulier. Appellat.* 13. *ff. de Verbor. ſignificat.* ibi = *Mulieris Appnllatione etiam Virgo Viripotens continetur* = quodque Edictis loquentibus de delictis Carnis; ſeù de Corruptione; ſub Nomine - *Mulieris* - non veniant Fæmellæ im-

puberes docet Cuiacius *in dicta. leg. Mulieris ff. de verbor. ſignificat.*

43. Cognitô hìc non agi de Stupro immaturo, tranſitum facimus ad probandum, Paulum Juriſconſultum, ſivè in abducendo Comite, ſivè in interpellandâ Muliere, nullam conſideraſſe Violentiam; Ad probandam hanc Veritatem, ſufficeret adducere ſententiam *Antonii Matthæi. de Crimin.* Clariſſimi Juris-Conſulti, quam etsì ſupra retulerimus, liceat tamèn nobis denuò repetere = *Nihil hic Bartoli Reſponſionem moror, qui exiſtimavit Paulum de Stupro violento loquutum fuiſſe, reclamant enim verba.*

44. Juvat itaquè conſiderare verba illa = *Abdacto ab eo, vel Corrupto comite* = Quinam eſſent iſti Comites explicat Ulpianus *in leg.* 1. §. *Omnem ff. de Iniuriis* ibi = *Ad dignitatem cum Comes Matronæ abducitur* = Clarius idem *Ulpianus in leg. Item apud Labeonem* 15. *in* §. *Comitem ff. de injuriis* ibi = *Comitem accipere debemus, qui comitatur eam, & ſequatur, & (ut Labeo ait) ſivè Liberum, ſivè Seruum, ſivè Maſculum, ſivè Fæminam, & ita comitem Labeo definivit, qui frequentandi ejuſvè cauſâ, ut ſequeretur in Publicô, privatôque abductus fuerit; Inter Comites utiquè Pædagogi erant* =

45. Maſculi, dùm gerebant Prætextam, ſemper habebant Comites, utpotè ſuæ Pudicitiæ Cuſtodes, quinimò & ipſa Prætexta, velutì ſacra habebatur, eamque violare nefas erat, ut ità eorum Pudicitia magis munita evaderet, uti Nos edocet Vir Clariſſimus *Is. Caſaubonus ad Perſ. ſat.* 5. *verſ.* 30. Anno autem ætatis decimo ſeptimo deponebant Prætextam, nec non Bullam, quam appendebant Diis Penatibus, & ſoli per Urbem abſque Comite incedebant, uti refert *Propert. lib.* 3. *Eleg.* 3.

Ut Mihi Prætextæ Pudor exvelatus amictu.
Et data libertas noſcere amoris iter,
& *Perſ. ſatir.* 5. *verſ.* 30.
Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit.

Bul-

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.
Cum Blandi Comites, tutâque impune ſuburrâ.
Permiſit ſparſiſſe oculos jàm candidus Umbo.

46. Fæminæ autèm retinebant Prætextam uſque ad earum Nuptias, Comites autem ſemper habebant, licet effectæ Matronæ, ſeù Matresfamilias Plaut. *Amphit.III.* 2.48.

Juben. mihi ire Comites ? Jup. *Sananes* ? M. *ſi non jubes*.
Ibo egomet; *Comitem pudicitiam duxero* = Impudicum enìm erat, Matremfamilias, Virginem, aut Puellam, ſine *Comite* in publicum prodire. *Plaut. Ciſtell. loco amiſſo*.
Adſtat ea in via ſola : Poſtribulum ſanè eſt.

47. Quamobrem, in abductione Comitis, ſemper fuiſſe factam Violentiam minimè cenſendum eſt, quoniam Abdutio hujuſmodi etiàm ſinè Vi poterat fieri, utì clarè habemus ex Ulpiano in dicta *leg. apud Labeonem* 15. §. *Abduxiſſe ff. de Iniuriis* ibi = *Abduxiſſe videtur*, (*ut labeo ait*) *non qui abducere Comitem cæperit, ſed qui perfecerit, ut Comes cum eâ non eſſet. Abduxiſſe autem non tantùm videtur, qui per vim abduxit*; *Verùm is quoque, qui perſuaſit Comiti, ut eam deſereret* =

48. Si etenim Paulus Juris Conſultus loqueretur de Abductione, factâ per Violentiam, utique dixiſſet - *rapto Comite* - non autem - *abducto* - ob eam ſcilicet rationem, nàm ea, quæ ſunt amota, ſeù abducta per Vim; RAPTA - dicuntur, quæ autem sìne Vi, dicuntur ſimpliciter - AMOTA, ſivè - ABDUCTA - ut egregiè explicat hanc differentiam *Ulpianus in leg. Quæ Naufragium* 3. §. *Non ſolum ff. de Incend. Ruin. & Nauf.* ibi = *Aliud autem eſſe Rapi, aliud autem amovèri, palam eſt, ſiquìdem amovèri aliquid, etiàm ſine Vi poteſt, Rapi autèm ſinè Vi non poteſt* =

49. Hac autem differentiâ uſus fuit Imperator Cònſtantinus *in lge.*1. *Cod. Theod. de raptu Virginum*, ubi loquendo de

de Raptu Virginum, ſi Puella fuerit invìta, Raptam appellat, ſi volens fuerit, vocat Abductam: ſunt Verba Textus. ibi = *Si quis nihil cum Parentibus Puellæ anteà depectus, invitam eam rapuerit, vèl volentem abduxerit* = cum Conſtantino concordat Papianus *lib. Reſponſ. tit. 9. de Raptu. Virg.* ibi = *Ut ſi Puellam cum Parentibus nihil antèdepectus, invìtam rapuerit, aùt volentem abduxerit* =

50. Sic quoque Grammatici, & Oratores dicunt Abductum, quemlibet blando ſermone iavitatum, utì vidèmus apud Ciceront 2. *de Finibus* ubì ait = *Majores noſtri ab Aratro abduxerunt cincinnatum illum, ut Dictator eſſet* = indubium èſt etenìm cincinnatum ſinè ullâ Vi, ſeù violentiâ, ſed blando ſermone fuiſſe invitatum ad accipiendam Dictaturam.

51. Omnem removet difficultatem ipſemet Paulus per illa verba, quæ addidit = VEL CORRUPTO COMITE, PERSUASERIT. Nàm ſtatìm intelligimus nullam fuiſſe adhibitam Violentiam, cum ſervi dicantur corrupti tantum perſuaſione, Textus eſt clarus in *leg.* 1. §. *Perſuadere ff. de ſervo corrupto.*

52. Explicato in prædictis verbis = *Abducto ab eo, vèl Corrupto Comite, perſuaſerit* = nullam Paulum conſideraſſe violentiam; Nunc tranſitum facimus ad explicanda ſubſequentia verba = *Mulierem, Puellamuè interpellaverit* = per quæ verba potiſſimum per lij - *interpellaverit* = excluditur omnis Violentia ad Textum Satis clarum Ulpiani in *d. l. Item apud Labeonem* 15. §. *Tenetur ff. de Injuriis* ibi = *Appellare eſt, blandâ oratione alterius Pudicitiam attentarè* = & infrà = *Aliud eſt, Appellare, aliud adfectàri; Appellat enìm, qui ſermone pudicitiam attentat: Adſectatur, qui tacitus frequenter inſequitur* = ex quorum Jurium clara Diſpoſitione, quis poterit inficiari in interpretratione toties laudati §. *Qui Puero* non ſolum deceptum fuiſſe Bartolum, ſed etiàm ipſum Rainaldum, licet magni Nominis Doctorem, dum dixit; In interpellando factam fuiſſe Violentiam, nempè, in *ſuâ Obſervat. ad cap.* 23. §. 1. & 6. *num.* 82. ubi docet Verbum - *Interppellave-*

laverit - accipiendùm eſſe de Vi verà, non de ſolâ perſuaſione.

53. Denique, ſi noſtra Nos non fallit opinio, omnem adimere difficultatem, nullamque Paulum conſideraſſe Violentiam exiſtimamus, ob ſequentia verba ejuſdem Pauli: ibi = *Quidvè, corrumpendæ Pudicitiæ gratiâ, fecerit; Domum præbuerit, pretiumvè, quô id perſuadeat, dederit* = Quæ utiquè, Verba dumtàxat perſuaſionem, ſeù Lenocinium redolent, idque factum, ut Comites corrupti ſolam relinquerent Puellam, vel Puerum, ut eiſdem poſſet potiri, ſeu frui ſtuprator; eiſdem etenim Verbis Utitur Papinianus, qui fuit Magiſter Pauli, ad explicandum Lenocinium, factum ſinè Vi, ut ſequeretur Adulterium, vel Stuprum cum Matre familias, vèl cum Maſculo, & dignum Coercitione, ſeù pænâ Legis Juliæ de Adulteriis, quæ tantùm coercet delicta carnis ſine Vi commiſſa; hujuſmodi definitionem Papiniani habemus in *Leg. Qui Domum* 8. *ff. ad Leg. Jul. de Adulteriis* ibi = *Qui domum ſuam præbuerit, ut Stuprum, Adulteriumvè cum aliena Matrefamilias, vel cum Maſculo fieret Sciens, vel quæſtum ex Adulterio Uxoris ſuæ fecerit, cujuſcumque ſit conditionis quasì Adulter punitur. Appellatione Domus, habitationem quamquam ſignificari palam eſt.* = Quâ de re, ſi Papinianus ſub hiſcè verbis non conſideravit ullam Violentiam, ſed tantùm adhibitam fuiſſe Perſuaſionem, ſeu Lenocinium, ut Stuprum, vel Adulterium ſequeretur, uti Clarè nos edocet *Cuiacius, in ſuâ repetit.* ad hunc Textum Papiniani, ità quoquè remanet indubitatum, ac evidens, Paulum, per ſupradicta verba = *Quidvè, corrumpendæ Pudicitiæ gratia, fecerit, domum præbuerit, prætiumvè, quô id perſuadeat, dederit* = nullam conſideraſſe Violentiam fuiſſe adhibitam, ſed tantum ſimplicem Perſuaſionem, & merum Lenocinium, ut Stuprator poſſet potiri, ſeù frui Puero, vel Muliere, ſeù Puellâ.

54. Exclusâ itaquè omni violentiâ, conſideranda, veniunt poſteriora ejuſdem Pauli Verba = *Perfecto flagitio capite punitur, imperfecto in Inſulam deportatur* = Tota difficultas remanet in intelligentiâ illorum Verborum = PERFECTO FLAGI-

GITIO CAPITE PUNITUR ; = an Paulus ſcilicet dixerit de Morte Naturali, vèl potius de Morte Civíli, nempè de Deportatione in Metallum. *Boſſius*, *Farinaccius*, *Rainaldus*, eorumque ſequaces, unanimi ore, docent per hæc Verba - *Capite punitur* - Paulum intellexiſſe Mortem Naturalem, ſeù ſummum Supplicium. Pace tamen tantorum Virorum, evidens eſſe credimus, ac ſuſtinemus Paulum per hæc Verba - *Capite punitur* - intellexiſſe de Morte civili, ſeu de Deportatione in Metallum, ut liquet ex infraſcriptis.

55. Paulum itaque intellexiſſe tantùm de Morte civili, evincunt ſubſequentia verba, quæ habentur in eodem *Reſponſo*. *Qui Puero* ibi = CORRUPTI COMITES SUMMO SUPPLICIO AFFICIUNTUR = ex quâ diſcretivâ loquutione ſtatim cognoſcimus, Paulum, Stupratores voluiſſe perfecto flagitio - CAPITE PUNIRI - idèſt Morte Civili; Nam ſi voluiſſet Morte naturali eſſe plectendos, dixiſſet utiquè - SUMMO SUPPLICIO cum ultimum Supplicium pro Morte Naturali interpretetur *leg. ultimum ſupplicium ff. de pænis*.

56. Pro majori tamen explicatione juvat animadvertere, pænam Capitis, ſeu pænam Capitalem in Jure noſtro non ſemper ſummum importare ſupplicium, ſed quandoque Amiſſionem Civitatis, quinnimò etiam ſimplicem Amiſſionem Exiſtimationis, & Famæ: eſt Textus Clarus in *L. licetcapitalis ff. de Verbor. Signific.* ibi = *Licet Capitalis, latinè loquentibus, omnis Cauſa exiſtimationis videatur, tamen Appellatio Capitalis, Mortis, vel Amiſſionis Civitatis intelligenda eſt* = ut etiam latè docent Interpretes in hâc lege, potiſſimum *Cuiacius*, & *Gæddæus*; Sæpiuſculè etiam in Jure Noſtro ſententia Capitalis ad ſolam Amiſſionem dignitatis, & honoris refertur *leg. penult. §. Exiſtimatio ff. de var. & extraord. cognit.* ob eam rationem, videlicet, quod bona Fama Vitæ ſoleat æquiparari *leg. Iſti quidem ff. de eo, quod metus cauſ. leg. Juſta ff. de Manum. vind.*

57. Porrò autem damnatos ſententiâ capitali intelligendos eſſe damnatos, vèl ad Mortem Naturalem, vèl ad Civilem, nempè ad Amiſſionem Civitatis, vel Libertatis, Nos

ad-

admonet Ulpianus in *leg. Rei Capitalis ff. de Pænis* ibi = *Rei capitalis damnatum, ſic accipere debemus; ex quâ causâ damnatô vèl Mors, vèl etiam Civitatis Amiſſio, vèl ſervitus contingit.* Cum Ulpiano concordat Africanus in *leg. Edict. 13. ff. de Bonor. poſſeſ.* ibi = *Rei Capitalis damnatus intelligitur Is, cui pænæ Mors, aut Aquæ & ignis interdictio ſit.*

58. Omnem ſubmovet difficultatem Ulpianus noſter, qui litteris Cubitalibus demonſtrat differentiam, quæ intercedit inter damnatum pæna Capitis, & inter damnatum ultimo ſupplicio; Ita loquitur idem Ulpianus in *leg. Pæna Parricidii. §. Qui alias ff. ad L. Pomp. de Parric.* ibi = *Qui alias Perſonas occiderit, præter Patrem, & Matrem, & Avium, & Aviam quos, More Majorum, puniri ſuprà diximus; CAPITIS POENA PLECTENTUR, AUT ULTIMO SUPPLICIO MACTENTUR.* =

59. Quis etenim tàm obſtinatæ Cervicis poterit inficiari hìc Ulpianum maximam conſideraſſe differentiam intercedere inter pænam Capitis, & Ultimum ſupplicium, & Ulpianum pro pæna Capitis intellexiſſe ſimplicem Amiſſionem Civitatis, Nos edocet Gloſſ. in hoc Textu in Verbo = *Capitis - Scilicet Civitatis*, ut ſuprà *l. Divus ff. ad L. Pomp. de Parric.* = quam legem per Gloſ. citatam ſi reſpicimus, ſtatim intelligimus, loqui de pæna Deportationis in Inſulam, ſeu Amiſſionis Civitatis.

60. Supplicamus etiàm animadvertere Ulpianum in hoc Textu non ſolum fuiſſe contentum inter unam, & alteram pænam adhibere Dictionem - AUT - quæ de ſuâ Naturâ, & Indole importat diſiunctionem, ſeù ſeparationem, non apud Grammaticos tantùm, atque Rhetoricos, ut videre eſt apud Facciolatum in ſuo Calepino, in dictione = AUT = Sed etiam quo ad Noſtros Juris Conſultos in *l. Hæc Verba ff. de Verb. Signific.* Sed ulterius dixiſſe = *Capitis pænâ plectèntur* = nam ſub hoc verbo = *plectèntur* = comprehendi poſſunt omnes pænæ etiam pecuniariæ ſeù Mulctæ: Contrà autèm illa Verba = *Ultimo ſupplicio Mactèntur* = tantùm intelliguntur de occi-

 ſione,

ſione, ſeù de Morte Naturali juxtà illud Ovidianum *Metam.* 15. *verſ.* 114.

Caper Bacchi mactatur ad Aras =
& *Horatius leg.* 1. *Ode* 19.
Mactata veniat lenior Hoſtia.

61. Hanc Itàque differentiam, quam docet Ulpianus inter pœnam Capitis, & inter Ultimum ſupplicium conſervant etiàm antiqui Juris Conſulti, Pandectarum Architecti in ſuis Reſponſis; ſicut & Imperatores in ſuis Edictis, & Conſtitutionibus; nam, ubì volunt Crimen puniri Morte Naturali, ſolent uti iſtis, vèl ſimilibus verbis, nempè = *Ultimo Supplicio* = ut in Raptorem Mulierum habetur *in leg. Qui cætu* §. *Qui vacantem ff. ad leg. Jul. de vi public.* ibi = *Qui Vacantem Mulierem Rapuerit, vel Nuptam, ultimo Supplicio punitur* = ſicuti Ulpianus in Raptu Pueri dixit, *Raptorem eſſe* = *Severè puniendum* = *leg. Et eum ff. ad leg. Jul. de Vi publ.* ibi = *Et ſi compereris, hæc ità admiſſa, rem ſeverè exequaris* = per quæ verba = *Severè exequaris* = intellexit de Pænâ Mortis, ut explicat etiam *Gloſſ.* in verbo - *Exequàris* - Conferunt ad noſtrum Intentum quamplurima Edicta Imperatorum, ut habetur *in leg. Quamvis Cod. ad leg. Jul. de Adult.* ubi in fine legitur = *Sacrilegos autem Nuptiarum Gladio puniri oportet* =: ſicuti habemus aliud exemplum *in leg. Cum Vir. Nubit. Cod. eodem* = *Jubemus inſurgere Leges, armari Jura* GLADIO ULTORE, *ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vèl qui futuri ſunt Rei* = Omnemque adimit difficultatem Textus *in leg. Quoniam multa facinora Cod. ad leg. Jul. de Vi publ.* ibi = *Et non jam relegatione, aùt Deportatione Inſulæ plectatur, ſed ſupplicium Capitale excipiat*.

62. Sexcenta alia exempla poſsèmus in medium adducere, in quibus, ubì Iuris Conſulti, vel Principes voluerunt crimina eſſe plectenda pœnâ Mortis Naturalis, minimè dixere

xere *pœna Capitis* Reos puniendos eſſe, ſed conſueverunt dicere = *Ultimo ſupplicio* = vèl = *exquiſitis pœnis* = vèl = *Gladio* = Reos eſſe puniendos, vèl alia conſimilia Verba adhibuerunt, ubì voluere Morte Naturali Reos eſſe damnandos.

63. Nèc refert objectum à Fiſco porrectum non eſſe locum in præſentiarum deportationi, quià Paulus in hoc reſponſo dixit = *Imperfecto in Inſulam deportatur* = Nàm facilis eſt, ac obvia reſponſio, quia ſi Paulus dixiſſet ſimpliciter = *Inperfecto flagitio deportatur* = aliquam poſſet habere probabilitatem Objectum; Sed quià Paulus dixit = *imperfecto in Inſulam deportatur* = Nobis ſignificare voluit, dùm dixit = *perfecto flagitio Capite punitur* = Reum eſſe in Metallum deportandum, nàm deportatio in Metallum pœna gravior eſt deportatione in Inſulam.

64. Pro eliminatione Obiecti, attentô Jure Digeſtorum, & Codicis, tres erant pœnæ Capitales, quoad Corpus nempè: Amputatio Capitis, Suſpendium, ſeù quodlibet Ultimum ſupplicium: = *Morti proxima pæna Caritalis erat, deportatio in Metallum*; = deinde ſubſequebatur deportatio in Inſulam ad Text. ſatis clarum *in leg. Capitulum ff. de pænis* ibi = *Capitalium quoquè pænarum ferè iſti gradus ſunt: Summum ſupplicium videtur eſſe ad Furcam damnatio: Item Vivi concrematio, quod quamquam ſummi ſupplicii appellatione meritò contineatur, tamen eò, quod id genus pænæ adinventum eſt poſterius primo viſum eſt: Itèm Capitis Amputatio: Deindè* PROXIMA MORTI PŒNA, METALLI *coercitio*. Deinde = IN INSULAM DEPORTATIO =

65. Deportatio itaque in Metallum ullo abſque dubio erat pœna gravior deportatione in Inſulam, nàm deportati in Metallum, fiebant ſervi pœnæ, amittebant Libertatem, Civitatem, & Familiam, totoquæ Vitæ ſuæ tempore, compedibus vincti, in Fodinis Metallorum laborare cogebantur: Deportatio in Inſulam utiquè mitior erat pœna, nam ſic deportati amittebant ſiquidem Civitatem, & Familiam, non tamen Libertatem; Perducti in Inſulam ab eâ certè exire

 non

non poterant, ſed poterant liberè contrahere, emere, vendere, utì faciebant ibi Inſulani *leg. aut damnum §. Inter eos ff. de pœnis.*

66. Receſſerunt ab Aulâ hujuſmodì Deportationes, & earum loco ſucceſſit pœna Triremium, quæ gravior exiſtimatur ipsâ pœnâ Deportationis in Metallum, quià damnati ad Triremes non ſolum tenentur, vincti compedibus, remigare, ſed etiàm ſunt ſubjecti periculo Maris, ſeù Navigationis, nec non etiàm Belli cum Hoſtibus, & Piratis.

67. Concludit demum Paulus ſuum Reſponſum *in dicto §. Qui Puero* dicendo = *Corrupti Comites ſummo ſupplicio afficiuntur* = Mirum fortaſsè videbitur corruptos Comites ultimo ſupplicio affici, Stupratores autem tantùm Deportatione coerceri; Cum vulgatum ſit, Agentes & Conſentientes æquali pœnâ puniri debere. Aſt admirationem abjiciet, quicumque perpendere voluerit, Comites iſtos Reos eſſe Proditionis; Nàm cum eſſent à ſuis Dominis præpoſiti ad Cuſtodiam Pudicitiæ, Pueri, ſeù Mulieris, vèl Puellæ, fuerunt ipſi proditores Pudicitiæ, &, recepto pretio, corrupti, relinquendo cuſtodiam, dederunt libertatem Stupratori, ut ad libitum abùti poſſet Puero, Muliere, vel Puellâ, qua de re quoad ipſos Comites nulla facienda eſt diſtinctio, an perfectum fuerit, vèl imperfectum flagitium, nàm qui pecuniam accipit, ut faciat quid illicitum, tenetur ſivè faciat, ſivè non faciat *leg.* 1. Et Clarius *leg. & Generaliter §. Si igitur ff. de Calumniatoribus.* ibi = *Si Igitur accepit, ut negotium faceret, ſivè fecit, ſivè non fecit, tenetur.*

68. Altera aùtem eſt conſideranda differentia, quià iſti Comites vèl ſunt de genere ſervorum, ideò ſummo ſupplicio afficiuntur; quià ubì Ingenui, ſeu Liberi deportantur, Servi, & humiles, ſeù abjectæ Perſonæ ſummò ſupplicio puniuntur *l.* 1. *§. fin. ff. ad leg. Corn. de falſis, & paſſim.*

69. Obfirmatò igitur Paulum in hoc reſponſo nullam conſideraſſe Violentiam, niſi eam, impropriam, quam voluntati, non antem corpori facere ſolent illecebræ, munera, ſeu perſuaſiones juxta illud = *oſtendis puero nucem, & trahis illum* =

lum = Ac demonſtratò inſuper Stupratores tantum pœnâ Metalli eſſe coercendos, ut pollicitationi noſtræ ſatis faciamus, reliquum eſt ut demonſtremus in *ſequenti* §. Stuprum cum Vi, pœna tantùm extraordinaria non autem Mortis naturalis eſſe puniendum.

§. II.

Stuprum cum Vi abſque Raptu, & abductione pœna tantùm extraordinaria, non autem pœna Mortis naturalis venit plectendum.

70. Pro maiori claritate hujuſcè quæſtionis ſcire oportet Stuprum cum Vi, ſivè cum Maſculo, ſivè cum Fœminâ patratum, excedere Vires Legis Juliæ, de Adulteriis, & eſſe ſubjectum *legi Juliæ de Vi publicà l. Mariti §. fin. ff. ad leg. Jul. de Adulteriis*, *& leg. In eadem causà §. Præterea ff. ad leg. Jul. de Vi publicà*, & ratio eſt, quià Lex Julia de Adulteriis, tantùm coercet delictà carnis, quæ ſinè Vi committuntur.

71. Alterum autem ſcire oportet; Nempè quæ Vis conſideretur a lege Julià de Vi Publicà. duplicis generis Vis poteſt in Stupro intervenire: interna nimirum una, & altera externa. Interna utiquè ea eſt; quæ accidit in omni Stupro etiam licito, intercedente ſcilicèt Matrimonio, cum neceſſaria ſit aliqua Vis, ut poſſit Maritus Matrimonium cum Virgine conſummare; hinc eſt quod apud Antiquos Romanos Nuptiæ cum Virginibus non celebrabantur in diebus Religioſis, ſeù Feriatis, teſte *Macrobio Leg. 1. Saturnalium cap. 15.* ibi = *Feriis autem Vim cuiquam fieri piaculare eſt, ideò tunc vitantur Nuptiæ, in quibus fieri Vis Virginibus videtur* = proindèque hujuſmodi Vim internam non conſiderat Lex Julia de Adulteriis, cum

hæc

hæc Vis de ſui Natura interveniat, ut diximus, in quolibet Stupro.

27. Vis autem externa, quam conſiderat Lex Julia de Vi publica, ea eſt, quà compellitur Mulier, ſeu Virgo inuìta ad patiendum Stuprum, seù Adulterium; hujuſmodi autem Vis, ut ſit locus Legi Juliæ de Vi publica, debet eſſe *gravis, & atrox*, ſeù ea, quæ cum Armis fit §. *Item Lex Julia Inſtit. de publ. Judic.* nempè cum Mulier armata manu, vel quòlibet ſimili violento modo conſtringatur ad patiendum Stuprum, vel Adulterium.

73. Puella Stuprata Vi, ſeù Violentià verà, (cum Virtus Virginitatis in Animo, quàm in Corpore conſiſtat), adhuc inviolatam Virginitatem retinet, licet Corpore oppreſſa, ut optimè objecit illuſtris Virgo, & Martyr Diva Lucia Paſcaſio Tiramno = *Si Invitam juſſeris violari, Caſtitas Mihi duplicabitur ad Coronam* = in hujuſcè veritatis ſequelam admodum confert referre ſententiam D. Auguſtini. *De Civ. Dei Lib. 1. cap.* 18. = *Et hinc potius admoneamur ità non amitti Corporis Santitatem, manente animi Santitate, etiam Corpore oppreſſo, ſicuti amittitur Corporis Sanctitas violatà animi Sanctitate, etiam Corpore intacto* = Conſonant etiam Jura noſtra in *Leg. Fœdiſſimam Cod. ad Leg. Jul. de Adulter.* ibi = *Quæ per Vim Stupro compreſſæ ſunt, irreprehenſa voluntate, Leges ulciſcuntur; quin etiam inviolatæ exiſtimationis.* = Quæ autem Puellæ per metum cadentem in conſtantem Fœminam fuerunt compreſſæ, quòad Stupratorem nulla differentia eſt, ſivè per Vim, ſivè per metum Stuprum intulerit, quoad ipſas certum eſt, omni eſſe dignas excuſatione, ac ab omni pœna immunes; An autem dici poſſit adhùc conſervaſſe Caſtitatem, ſeù Pudicitiam, nos remittimus ad ea, quæ habet D. Auguſtinus dicto *Lib. 1. de Civ. Dei cap.* 19. ubi quærit, an Lucretia Matrona Romana, quæ ſe, ob illatum ſibi Stuprum, perèmit, innocens, & caſta dici mereatur.

74. Ut rectè cognoſcere poſsìmus quà pœna coercendum ſit Stuprum cum Vi, obſervandum utique eſt cujus qualitatis ſit Stuprum; ſi etenim agatur de Stupro cum Puero Maſculo, (atten-

(attènto Jure Digeſtorum) ſi eſſet ſine Vi, ſubjectum eſſet Legi Juliæ de Adulteriis; ſi cum Vi, eſſet ſubjectum pœnis Legis Juliæ de Vi Publica, Hodiè, attento Jure Codicis, ſivè per Vim, ſeù Raptum, ſivè ſinè Vi, vèl Raptu, ſemper ultimo punitur ſupplicio l. Cum Vir nubit *Cod. ad leg. Jul. de Adulter.* ſicuti eodem ſupplicio afficitur Stuprum cum Puella rapta, tàm attento Jure Pandectarum *leg. Qui cetn §. Qui vacantem ff. ad leg. Jul. de Vi publ.*, utì etiàm, attento Jure Codicis. *Leg. unica Cod. de Rapt. Virg.* nec non etiam ultimo mactatur ſupplicio, qui Stuprum cum ſantimoniali commiſit *leg. Si quis non dicam Cod. de ſacroſan. Eccleſ.*

75. Stuprum igitur cum Puella, quæ non ſit Santimonialis, utiquè cum Vi, ſed abſque Raptu commiſſum, pœna legis Juliæ de Vi publica dumtàxat eſt vindicandum *Leg. eadem §. Præterea ff. ad leg. Jul. de Vi publica* ibi = *Præterea punitur hujus Legis pœna, qui Puerum, vèl fœminam, vèl quemquam per Vim Stupraverit* = Pœna autem legis Juliæ erat inter dictio Ignis, & Aquæ *leg. Qui dolo §. fin. ff. ad leg. Jul. de Vi Public.* ibi = *Damnato de Vi publicà Aqua, & Ignis, interdicitur* = Cui pœnæ posteà ſubrogata fuit deportatio in Inſulam *l. 2. §. 1. ff. de pœnis l. 3. ff. ad leg. Jul. Peculat.*

76. Cum autèm neque in Codice, neque in Novellis Juſtiniani ſuper Stupro cum Vi, & ſinè Raptu nihil fuerit innovatum, pro veritate exiſtimamus minìmè pœnà ultimi ſupplicii, ſed pœnà Triremium, arbitrio Judicis fore puniendum, cum hodiè, ut ſuperius diximus, antiquæ Deportationi pœna Triremium ſit ſubrogata.

77. Quoniam verò Fiſcus contendit eſſe veriorem ſententiam Doctorum aſſerentium hujuſmodi Stuprum cum Vi ſubiici pœnæ mortis naturalis; Nos ad veritatem eruendam ſubdimus ea, quæ ſcripſit *Boſſius*, qui dici poteſt Anteſignanus ipſiuſmet Fiſci, *tit. de plurib. Violent. num. 63.*, & clarius *tit. de Coit. damn. num. 64.* ibi = *Non omitto tamen ultrà eum, quod adeſt Textus in leg. In eadem §. eadem lege ff. ad leg. Jul. de Vi public. Qui dicit, quod Stuprum commiſſum in Puerum, vèl Fœminam, punìtur pœnà illius legis, quæ in ſe non eſt capitalis, & tamen*

pro

pro Stupro in Puerum ſine Vi, imponitur pœna capitaliſſima leg. Cum Vir Cod. de Adulter. & in Puellam Vi, eſt pariter pœna capitalis leg.1. §. fin. ff. de extraordin. crimin. quem text. vide quia pulcherrimus eſt.

78. Quanti facienda ſit ſententia *Boſſii*, ejuſque ſequacium, nempè *Farinaccii*, *Rainaldi*, aliorumque licet magni nominis Doctorùm nemo non videt. Fatetur enim Boſſius pœnam Stupri cum Vi, attenta Lege Juliâ de Vi publ., minimè eſſe capitalem, ſed fieri Auctoritate totius laudati *textus in l.*1. §. *Qui Puero ff. de extraordin. crimin.* cum autem à nobis in ſuperiori noſtro paragrapho ſuperlativè comprobatùm fuerit, pœnam *Capitis*, quæ habetur in dicto §. *Qui Puero* minimè Significare Mortem naturalem, ſeù ultimum ſupplicium, ſed tantùm Coercitionem in Metallum, cujus loco hodiè ſubrogata eſt pœna Triremium, ſupervacaneum remanet, ut ampliùs immoremur in reiiciendâ ſententiâ Boſſii, eiſque ſequacium, cum flocci pendenda veniat.

79. Noſtram autem Sententiam, punientem Stuprum cum Vi pœna Triremium, ſeù Arbitraria Judicum, latè examinato Articulo, obfirmat *Menoc. de Arbitrar. caſ.*294. *qui n.*11. præcisè loquitur in terminis Stupri Virginis immaturæ. Huic ſententiæ noſtræ adhærent non ſolum Doctores per eundem *Menochium, dicto caſu* 294., recitati, ſed etiam ii, qui afferuntur *per Farinacc. quæſt.*147. *num.*40. *& ſequen.* & faciunt collecta per *Rainald. ad cap.*23. §.1. 2. & 3. *num.*73. *cum plurib. ſequen.* quibus addendus eſt *Giſanius ad* §. *Item lex Julia verſ. cum quiſ.* Inſtitut. de public. Judic. & clarè *Perez in tit. Cod. ad* Leg. Jul. *de Adulter. num.*48. ibi = *Ipſe autèm Stuprator, ob vim illatam, pœnà Legis Juliæ de Vi publicà coercetur l.*3. §.4. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter. quæ eſt Deportatio, non itèm pœnà capitalis, niſi Stupri violenti flagitio acceſſerit Raptus, quò ſenſu accipienda eſt l.*1. *ff. de extraordin. crimin. Fachinæus lib.*9. *contr. cap.*101.

80. Etiàm Nos ultrò admittimus, ſi cum Stupro conjunctus ſit Raptus, locum ſibi vindicare ultimum Supplicium, ſecùs autem ubì exulet Raptus, & dumtàxat agatur de Stupro cum

cum Vi ; Quia tunc certum eſt non eſſe locum pœnæ Mortis naturalis, non obſtantibus Juribus, quæ ex contrariæ ſententiæ Propugnatoribus ſolent opponi, quià vèl loquuntur in terminis Raptus, vèl non faciunt ad rem noſtram ; Et profectò de Raptu loquitur *Textus in L. Qui cœtu §. Qui vacantem ff. ad leg. Jul. de Vi publ.* ibi = *Qui vacantem Mulierem rapuerit ; vèl nuptam, ultimo ſupplicio punìtur* = pariterqne de Raptu loquitur *Juſtinianus in §. Item Lex Julia de Vi public. Inſtitut. de public. Judic.* ibi = *Sin autem per Vim Raptus Virginis, vèl Viduæ, vèl Sanctimonialis, vèl alterius fuerit perpetratus, tunc & Raptores, & ii, qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur, ſecundum noſtræ Conſtitutionis definitionem, ex quâ hoc apertiùs poſſibile eſt ſcire* = nam Juſtinianus hujuſmodi Raptores, per ejus Conſtitutionem, latam anno ſalutis 528., ultimo ſupplicio damnavit, ut habetur *in L. unicâ C. de Rapt. Virg.*

81. Fuere etiam nonnulli contendentes Stuprum cum Vi pœna lethali puniendum eſſe, vigore *Textus in §. Item Lex Julia de Adulteriis Inſtit. de publ. Judic.*, neſcimus autem quà ratione credant inniti ſuam opinionem ſuper hujuſmodi Textu, quià nihil facit ad Rem noſtram, nec in illo ullum Verbum legitur, ſignificans Stuprum cum Vi : In prima etenim parte decernit, Temeratores alienarum nuptiarum gladio eſſe puniendos, ſicutì exercentes cum Maſculis nefandam libidinem : In altera autem parte loquitur tantum de Stupro ſinè Vi, ut indicant ipſamet Verba Textus ibi = *Cum quis ſine Vi, vèl Virginem, vèl Viduam honeſtè viventem Stupraverit*, = & pœnam irrogat Stupratoribus, *ſi honeſti ſint publicationem partis dimidiæ bonorum, ſi humiles corporis coercitionem, cum Relegatione*, unde iſte Textus nihil facit ad rem noſtram.

82. Sìcutì inanis, âc nullius, momenti eſt modò relatà Objectio, ità quoque ejuſdem Indolis, ac Naturæ eſt altera objectio, quàm faciunt nonnulli dicentes, Magis peccare eum, qui ſuaſionibus, illecebris, ac pretio corrumpit, quia Animum corrumpit, quam eum qui per vim Stupratur, nàm lege Solonis, utì Duarenus ex Liſijà adnetavit, ob

E dictam

dictam rationem gravius puniebatur perſuaſio, quam Violentia, & in adjumentum ſuæ objectionis ſolent afferre diſpoſitionem Textus *in leg.* 1. §. *Perſuadere ff. de ſervo corrupto*. ibi = *Perſuadere autèm eſt plus, quam compelli, atque cogi ſibi parere* =

83. Quanti facerent ipſimet Græci Leges Solònis de rebus Venereis latas, utpotè ineptas, atque deformes audiamus ea, quæ Plutarcus ſcripſit ſuper hiſce Legibus in Vitâ ejuſdem Solonis, ibi = *Omninò tamen Solonis Leges de rebus Venereis deformitatis plurimum continere videntur. Moechum enim interimere fas eſſe deprehendenti volvit. Si autem raptæ liberæ Mulieri Vim attuliſſet, eum decem drachmis mulctavit: ſin proſtituiſſet, viginti drachmarum pœnâ ſtatuit teneri: præterquam eas, quæ palam væniunt, dico autem Meretrices. Namquè illæ manifeſtè ſe permittunt iis, qui pretium afferunt.* =

84. Si autem Noſtros Juris Conſultos conſulere velìmus, potiſſimum eos, de Re Criminali agentes, nempè *Boſſium Farinaccium*, *Rainaldum*, alioſque inſignis Notæ Doctores, maxima habetur differentia inter vim impropriam, (ſi tamen talis dici poſſit) quæ provenit ex illecebris, ſeù donis, & perſuaſionibus, & eam, quæ provenit ex armis, ſeù ex verâ violentiâ externâ; Nam Puella illecebris illecta, ſeù ſuaſionibus, vèl pretio, dicitur voluntatem ſuam accomodaſſe, adeòque æquè in Animo, ac in Corpore dicitur corrùpta: Ea autem, quæ per vim compreſſa eſt, licet corpore oppreſſa, attamen in mente retinet Virtutem Virginitatis, utì ſuprà docuimus, exemplo Divæ Luciæ, doctrinâ *D. Auguſtini, & etiàm ex Text. in dicta leg. Fœdiſſimam Cod. ad leg. Jul. de Adulter.*

85. Quoniam autèm omnia Stupra, cœterique Actus Venerei, ſemper habent Comites, dona, illecebras, & perſuaſiones, mirandum non eſt, ſi ſuperiùs laudati DD. *Boſſius*, *Farinaccius*, *Rainaldus* flocci faciant hujuſmodi Violentiam, ex illecebris, ſeù donis proficiſcentem, quià, ut optimè dicunt, totus Mundus ſine capite ambularet, cum

in

in quôlibet Stupro, vèl Adulterio, interveniant dona, illecebræ, & perſuaſiones, adeòque tantùm eam exiſtimant in Criminalibus attendendam eſſe Vim, quæ verè, & propriè ſit talis, externa nempè, & Atrox, utì optimè dixit relatus *Boſſ. tit. de Rapt. Mulier. num.*15. ibi = *Quod vim tantùm atrocem criminaliter punimus, &, ſi aliter diceremus, poſsèt capite puniri Univerſus tamen Mundus* = Boſſium ſequuntur Farinacc. *prax. crimin. quæſt.*145. *num.* 113., *Rainald. Obſervat. ad. cap.* 22. *a* §.1. *ad* 10. *num.*137. *cum ſequen.* ubì pluribus Doctoribus allegatis ità concludit, ibi = *Et huic opinioni tanquam æquiori adhærent noſtra Bannimenta, quæ, ob ſolam violentiam perſuaſivam, imponunt pœnam pecuniariam* =

86. Expediti â prædictis oppoſitionibus, ut noſtram Sententiam in tuto ponamus, nempè Stuprum cum Vi minimè fore ultimo Supplicio puniendum, remanet, ut occurramùs Objecto, per Clariſſimum Virum propoſito, nempè *Matthæ de Crimin. tit.3. de Adulter. cap.*5. *num.*8. & clarius *tit.*4. *de Vi public. & privat. cap.* 2. *num.*7. Ità enìm inſurgit: Raptor Puellæ, licet non Stupraverit, ultimo coercetur Supplicio, & eâdem pœnâ etiam coercentur conſcii, ſeu Coadjutores, aut Auxiliatores Raptus; Sed qui Stupratur Puellam, Raptor dicitur Virginitatis, ut probat, ex ſequentibus rationibus, nempè *Iſidorus lib.* 5. *Etymol.* 26: *Raptus nihil ſit aliud, quam illicitus Coitus, à corrumpendo dictus, unde qui Raptâ potitur, Stupro frui dicitur. Quod Raptio non ſolum ad Perſonam abductam, ſed & ad Pudicitiam ereptam referatur. Ut enim ex Concil. Aurelianen. traditur in Cap. de Raptorib. 36. quæſt.1. Raptus dupliciter fit, vel cum ipſa Mulier rapitur, vel cum flos Virginitatis violenter ei eripitur. Quare licet Mulier non abducatur de loco in locum, ſed retineatur, ubi deprehenſa eſt, Raptus tamen committitur, quoniam Pudicitia ei eripitur.* = ergò attentâ *Matthæi* Sententia Stuprum cum Vi, ad inſtar Raptoris, eſſet ultimo puniendum Supplicio.

87. Hiſcè omnibus non obſtantibus, inconcuſſa, ac in ſuo pleno robore remanet ſententia noſtra; Nam ſi recolimus Verba *Iſidori â Matthæo*, relatâ, ex quibus totam Vim Matthæus ipſe deſumit, minus officiunt. *Gratianus* ſiquidem refert Verba Iſidori *in can. Raptus cauſ. 36. quæſt. 1.* ibi = *Raptus quoquè illicitus, Coitus à corrumpendo eſt dictus, undè qui Raptu potitur Stupro fruitur* = & eadem Verba refert *Gratianus* ſupra *in cap. Raptus* 28. *cauſ.*47. *quæſt.*2. ex quibus verbis clarum eſt, Stuprum cum Vi admodum Crimen eſſe diverſum â Crimine Raptus, ut optimè, explicando prædicta *Verba Iſidorj*, dixit Card. Turrecremata *in dicto cap. Raptus cauſ.*36. *quæſt.*1. ibi = *Ad hoc reſpondemus, quia Raptus eſt ſpecies diſtincta â Stupro; Ad dictum Iſidori dicimus, quod hoc dicit, quià, ut dicit S. Thomas in ſecunda, ſecundæ quæſt.*154. *art.*7. *quandòque in idem concurrit cum Stupro, quandòque invenitur Raptus ſinè Stupro, quandòque verò Stuprum ſinè Raptu.* =

88. Porrò hanc differentiam inter Stuprum, & Raptum cognoſcit, & fatetur idemmet *Matthæus*, loco ſupracitato, ibi = *Accedit quod Juris Conſulti quoquè Stuprum per vim factum â Raptu ſeparent* = affert enim idem *Matthæus* verba *Martiani Juriſconſulti*, qui in uno loco agit de Stupro cum Vi, altero verò de Raptu, quæ verba brevitatis gratiâ relinquimus.

89. Optimè autem hanc differentiam inter Stuprum, & Raptum, tum ratione qualitatis delicti, tum ratione pœnæ affert præſtantiſſimus Anteceſſor *Hubertus Giphanius in* §. *Item Lex Julia de Adulter. in verbo cum quis ſine Vi Inſtit. de Public. Iudic.* ibi = *Nam ſi cum Vi, tùm crimen pertinet ad leg. Iul. de Vi Public. leg.*3. *ff. ad leg. Iul. de Vi publ. Huic autem Stupro, cum vi conjuncto, ſimillimus eſt Raptus; differt tamen, quod in Raptu Fæmina abducitur, in Stupro cum Vi non item, Quæ tria Stuprum ſine Vi, cum Vi, & Raptus, propter pænarum differentiam, diligenter ſunt diſtinguenda, Nam Stupri ſinè Vi pæna eſt Relegatio, ut hic; Cum Vi eſt Deportatio* §. *Item lex Julia de Vi; Raptus eſt Morſ.*

leg.

leg. qui cætu 5. *ff ad leg. Jul. de vi public. leg.* 1. *Cod. de Rap'. Virg. Vid. aut Sanctim.*

90. Expleto examine ſupradictorum verborum *Iſidori*, ſententiæ Noſtræ, ut vidimus, non adverſantium, reliquum eſt, ut proſequamur alterum *Textum*, *a Metthæo*, ut ſupra, deductum *ex Concil. Aurelianen.* Iſte Textus refertur pariter a *Gratiano in cap. de Raptoribus cauſ.36.quæſt.*1. Veruntamen pro reſponſione ſufficit, ut legatur, ac perlegatur hujuſmodi Textus, & ſtatim videbimus, quod tantum agit de Raptore, qui cum Raptâ confugerit ad Eccleſiam, ut indicat etiam Epigraphe hujuſce Textus, a Gratiano conſcripta ibi = *Si Raptor cum Raptâ ad Eccleſiam confugerit quid fieri debeat.*

91. Evacuatis oppoſitionibus *a Matthæo* deductis ex Juribus, in Decreto Gratiani contentis, non immoramur ſuper Auctoritatibus deductis vel ex *Seneca*, vel ex *Quinctiliano*, ſeù etiam ex *Imperatore Leone*, *in ſuâ Novell.*35. quia hæc utique oſtendunt maximam Eruditionem *Clariſ.Viri Matthæi*, in ſuo tractatu de Criminibus, ſed nihil conferunt ad rem noſtram, ob maximam differentiam, quæ intercedit inter ſtuprum cum Vi, & Raptum; Nam etiamſi, per malam hypotheſim, dicere voluerimus, Stupratorem cum vi eſſe habendum uti Raptorem, adhuc maxima eſt differentia in pœnâ, non ſolum ob vulgatum Axioma, *aliud eſſe tale, aliud haberi pro tali*; ſed in præciſis terminis noſtris habemus Textum ſatis clarum, indicantem hunc differentiam, nempe *in leg. unicâ Cod. ſi quis eam, cujus Tut. fuer. corrup.* ibi = *Si Tutor Pupillam quondam ſuam, violatâ caſtitate ſtupraverit, Deportationi ſubjugetur, atque univerſæ ejus facultates Fiſci Juribus vindicentur, quamvis eam pœnam debuerit ſuſtinere, quam* RAPTORI *Leges imponunt.*

92. Legantur DD. repetentes hunc Textum, quos, brevitatis gratiâ, omittere conſultum ducimus, verba tantum liceat nobis referre, quæ ſcripſit doctiſſimus *Cujacius* ad hunc Textum ibi = *Debuiſſet enim, in tam nefandi ſtupri Raptorem, infligi Pœna Legis Juliæ de Vi, quæ in Raptorem eſt ultimum ſupplicium* = poſt hæc ſubdit idem *Cuiacius* ibi = *Turpius*

pius eſt ſtuprum in Tutore, cujus fidei ſunt commiſſi minores, nec ineleganter Quinctilianus declamat. 284. *Duci Proditori comparat Tutorem Violatorem Pupillæ.*

93. Ex quibus profectò verbis comprehendimus differentiam intercedentem inter Raptorem, & ſtupratorem, ut indicant illa verba Textus *in dicta leg. unicâ* ibi = *Quamvis eam pœnam debuerit ſuſtinere, quam Raptori Leges imponunt* = *Cuiacius*, loco ſuprâ citato, appellat Tutorem, *negandi ſtupri Raptorem*, & dignum pœnâ Legis Juliæ de vi publicâ, quæ in Raptorem eſt pœna ultimi ſupplicii, & tamen Tutor ſtuprator Pupillæ deportatione tantum punitur, cum Confiſcatione Bonorum: Ita quoque licet ſtuprator cum vi habeatur tanquam Raptor, nihilominus non venit puniendus, ſic uti Raptor ultimo ſupplicio, ſed tantum deportatione, cum confiſcatione bonorum.

94. Subſequuntur aliæ differentiæ inter unum, & alterum crimen; in Raptu ſiquidem fit æque injuria Puellæ, ac ejus Parentibus, cum abducatur de Domo propria, quæ cuique dicitur tutiſſimum Refugium, ac Receptaculum *leg. Plerunque ff. de in Jus vocan. leg. Nemo ff. de Regul. Jur.*

95. Conſiderandum etiam venit, crimen Raptus aliud crimen involvere, nempe Plagii, cum Raptor abducat Puellam, ut apud ſe ſemper retineat, ut etiam conſiderat idem *Matthæus*, loco ſuprà citato, adeoque nil mirum, ſi *Juſtinianus* voluit Raptorem ultimo ſupplicio puniri, etiam non ſequuto ſtupro, quia crimen Plagii non ſolum Jure veteris Teſtamenti, ſed etiam ex noſtro Jure Civili pœnâ mortis naturalis punitur, uti decrevere *Diocletianus*, *& Maximianus in leg. Quoniam Cod. ad leg. Jul. de Plagiariis.*

96. Aliæ differentiæ non deſunt, quæ leguntur in *dicta leg. unicâ Cod. de Raptu Virg.* ibi = *Nam meritò mortis ſupplicio damnatur, nam nec ab Homicidii crimine immunes ſunt Raptores* = Quos etiam idem *Juſtinianus* vocat *peſſima criminum peccantes*: Quinimò eâdem lege interdicitur Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, etiam ſi raptus ſequutus fuiſſet ſine vi, & muliere ipsâ acconſentiente: Hæc autem

omnia

omnia ceſſant in Stupro cum Vi, & Imperatores nihil ſuper hoc crimine innovavere, cum tantum attendatur pœnâ, quæ habetur Jure Pandectarum, attentâ lege *Julia de Vi public.* nempe *interdictio Ignis, & Aquæ*, cui Imperotores ſubrogarunt Deportationem, cui hodie ſubrogata eſt pœna Triremium, uti latius ſuperiori §. fuit explicatum; & hiſce addere oportet nullibi haberi interdictum matrimonium inter Stupratorem cum Vi, & Stupratam, & utrâque Juris cenſura tale matrimonium nedum permittitur, ſed laudatur; Contra autem, inter Raptorem, & Raptam, uti dictum fuit, Lege Civili prohibitum eſt.

97. Alia autem urget, & maxima conſideratio, nam Raptores Libertinæ, vel Servæ Alienæ ultimo plectuntur ſupplicio, uti legitur in *dicta leg. unicâ Cod. de Rapt. Virg.* & tamen feminæ ſervilis, vel Libertinæ Conditionis, inter humiles, & abjectas fæminas recenſentur, in quibus non cadit ratio caſtitatis, *leg. humilem 7. Cod. de inceſt. Nupt.* ibi = *Humiles vero, abjectaſque Perſonas eas tantummodo mulieres eſſe cenſemus, Ancillam, Ancillæ filiam, Libertam, Libertæ Filiam* = In Fœminis humilibus, & abiectis non cadere rationem caſtitatis, ſeu Judicium Stupri, vel Adulterii eſt Text. *clar. in leg. Quæ adulterium 29. §. Hæ autem Cod. ad leg. Jul. de Adulter.* ibi = *Hæ autem immunes a Judiciariâ ſecuritate & Stupri, & Adulterii præſtantur, quas vitæ vilitas dignas Legum obſervatione non credidit* = & tamen Raptus iſtarum Perſonarum ſubiicitur ab *Juſtiniano* ultimo ſupplicio *in dicta leg. unicâ Cod. de Rapt. Virg.* & ſi cui hæc pars Conſtitutionis dura fortaſſe videatur, uſurpet illud *Vlpiani in leg. Proſpexit ff. Qui, & â quibus Manum. Liber. non ſi* = *Lex quidem dura eſt, attamen ita ſcripta eſt.*

98. Corruit igitur contrarium âſſumptum, quod nimirum ex veriori DD. ſententia, ac Majori eorum calculo, Stuprum cum Vi pœnâ mortis naturalis puniendum ſit. Quoniam ſi ab hujuſmodi numero ſecernamus DD. qui ſuam ſententiam comprobant, cum Toties Laudato *Reſponſo Pauli in dicto §. Qui Puero.* Vel illi, qui loquuntur, ubi Stuprum con-

conjunctum eſt cum Raptu, vel illi, qui loquuntur in terminis alicujus Legis municipalis, ſeu Bannimenti particularis, (inter quos etiam eſt recenſendus idem *Ant. Matthæ. de crimin.* ut ipſe fatetur in *tit. de vi public. cap.*4. *de Uſu, & Jure Municipali Num.*7. & 8.) planum eſt majorem eſſe numerum, ſeu calculum docentium, Stuprum cum Vi, pœnâ tantum arbitrariâ Judicum, non autem ultimo ſupplicio eſſe puniendum.

99. Conferunt ad noſtrum Intentum tot ſtatuta, tot diſpoſitiones municipales, ſubjicientes hoc crimen ultimo ſupplicio, nam eſſent inanes, ac ſupervacaneæ, vel certè parum inſervirent, ſi ex veriori ſententiâ. & majori DD. calculo, Stuprum cum Vi ultimo ſupplicio foret coercendum.

100. Quod ſi Stuprum cum Vi verâ, tantùm puniendum eſt, ut vidimus, pænâ extraordinariâ, omittendum eſſet ſcrutari quâ pænâ puniendum ſit Stuprum, ubi concurrat in Stupro vis tantum impropria, vel interpretativâ, cum non poſſit magis operari fictio in Caſu ficto, præſumptio in Caſu præſumpto, quam Veritas in Caſu vero. Nihilominus ad omnem evacuandam difficultatem de hoc erit Sermo in ſequenti Paragrapho.

§. III.

Nulla Adeſt Vis vera, ſeù etiam interpretativa in hoc prætenſo Stupro.

101. Nullam adeſſe Vim deprehendemus, ſi velimus conſiderare tempus, locum, modum, quô fuit peractum Stuprum. Romæ etenim, in publicâ Tabernâ, Horâ proximâ ante Meridiem fuit peractum, tacente ſemper Puellâ, nam, ſi clamaſſet, multi adfuiſſent, qui eam â Stupro liberaſſent, unde

uti

utì conſentiens, ac Rea extimanda eſt, attentâ *Lege Dominicâ*, quæ habetur *in Deuter. cap*;22. *Puella, quià non clamavit, cum eſſet in Civitate: Vir, quià humiliavit Uxorem Proximi ſui: & Auferes Malum de medio tui* = Afferunt Rationem Interpretes, nam ſi clamaſſet, adfuiſſent, quí eam liberaſſent.

102. Hæc autem Lex Judicialis, licet ſit Veteris Teſtamenti, attamen ſibi vindicat Robur, cum reperiatur hæc lex ſcripta in Corpore Juris Canonici, nempè in *Decreto Gratiani in can. non ſatiſ.* 34. *quæſt.* 2. ibi = *Legat Libros Moiſis, & inveniat deſponſatum Viro, ſi in Civitate fuerit oppreſſa, & non clamaverit, puniri quaſi Adulteram*. Leges Judiciales Veteris Teſtamenti, licet ex ſe non obligent, tempore Gratiæ, nihilominus propter Moralem Aequitatem, vèl honeſtatem, poſſunt etiam hodiè, vèl conſtitutione, vèl conſuetudine obligare *cap.*1. *de Homic. cap.*1. *& ſequen. de Injuriis*. Nec refert Puellam cæpiſſe flere, quià fletus ſupervenit ex concepto dolore, ratione intromiſſionis Membri virilis, & Inquiſitus ſtatim retraxit ad ſe Penem, nec intùs, nec extrà Vas ſeminavit, & ſtatim Puellam ad ſuam Domum remiſit.

103. Ad excludendum conſenſum Puellæ, & ad probandam hujuſmodi præſumptam, atque interpretativam impropriam Violentiam nobis obiici poſſet Reſponſum *Modeſtini in leg. In Sponſalibus ff. de Sponſalibus*, & præciſè in iis verbis = *Si modò id fieri ab utrâque Perſonâ intelligatur, ideſt, ſi non ſint Minores, quam Septem Annorum*. Et cum Jure Civili concordant Sacri Canones, qui declarant invalida omnia Sponſalia de futuro, contracta antè Septennium completum, adeòque Puella, cum nondum compleverit Septennium, non potuit præbère aſſenſum Supro, proindèque locum eſſe præſumptæ Violentiæ docuit etiam *Boſſius tit. de coit. damn. num.* 68.

104. Faciliùs eſſet reſpondère tùm *Boſſio*, tùm ſequacibus, quià omnes innituntur toties laudato *Reſponſo Pauli in dict.* §. *Qui Puero*; quod infligit tantùm coercitionem Metalli, ut ſuperius fuit demonſtratum. Ad tollendam tamen omnem dif-

 ficul-

ficultatem: Ideò Jura Civilia, & Sacri Canones voluere, ad valida ſponſalia, adimpletum eſſe Septennium, quià agitur de gravi obligatione contrahendâ, nempè de ſtatu eligendo, ſicuti in Teſtamento requiritur ætas completa quatuordecim annorum *leg. Quà ætate Cod. de Teſtamentis, & Concil. Trident. de Regular. ſeſſ.25. c.15.* requirit ad Regularem Profeſſionem, ætatem completam ſexdecim annorum. In allis autem Actibus nullibi præfinita eſt ætas, nam vidèmus quamplurimos Quinquennes feciſſe Opera Meritoria apud Deum, alioſvè feciſſe Opera lethalià, quibus ſe Diabolo obligavere, quorum Elencum hìc referre nimis longum, & fortè inutile eſſet; Sicuti videmus quamplurimos in ſexto, vèl ſeptimo Anno Pueros, admiſſos ad Sacramentalem Confèſſionem. In ſexto, & Septimo Anno ſolent erudiri Pueri in bonis Litteris, quod non fieret, ſi non intelligerent, quid agerent. Videmus etiam in Jure noſtro, quomodò Operæ Puerorum, qui erant ſuprà quintum Annum, habebantur in pretio, jùxtà *Reſponſum Pauli in leg. fin. ff. de Operis ſervorum*, & explicat *Cuiacius*, tùm *in dict. leg. fin.* tùm *Obſervat. lib.9. cap.38.* Sed omnem adimunt dubitationem Theologi, ferè omnes, Canoniſtæ, ac Juris Conſulti, docentes valère Sponſalià, contracta à nondùm Septenni, ſi uſus rationis antevertat ſeptennium, nempè, utì dicunt, ſi malitia ſuppleat ætatem. *Ità D. Thomas 3. part. diſtinct. 27. art.2.* ibi = *Ad ſeptimum dicendum, quod in Sponſalibus etiam ſimiliter, ſi contrahentes appropinquent ad tempus Septennii, Contractus Sponſalium habet Robur, quià ſecundum Philoſophum, in 2. Phiſicorum, quod parum deeſt, nihil deeſſe videtur, hæc autem appropinquitas à quibuſdam terminatur tempus Septennii, ſed melius eſt, quod determinetur ſecundum conditionem contrahentium, quià in quibuſdam acceleratur Rationis Uſus, quam in aliis.*

105. Concordat cum *D. Thoma D. Antoninus part. 3. Tit.1. cap.18.* ibi = *Item nota, quod poſt ſeptennium contrahi poſſunt Sponſalia, ſi autèm multum appropinquarent ad tempus ſeptennii, quamvis non impleverint Septem Annos, tenent ſponſalia, ſecundum Thomam, in 3., ſcilicet, diſtinc.27. art.2.*

ad

ad ultimum, quià ſecundum Philoſophum, in 2. Phiſicorum, nihil deeſſe videtur, hæc autem Appropinquatio determinanda eſt, ſecundum conditionem Contrahentium, cum in quibuſdam citiùs, in quibuſdam tardiùs proveniat intentio, ſeù placentia Nuptiarum. =

106. Hanc Sententiam comprobant Canoniſtæ: *Sanchez de Matrimon- lib.1. Diſputat.16. num.9.* ibi = *Sententia multò verior affirmat, malitiâ ſupplente ætatem, validè contrahi ſponſalia, antè Septennium, probatur, ex ratione Juris Conſulti leg. In Sponſalibus ff. de Sponſalibus dicentis, ſatis eſſe, ſponſos, quod agant, intelligere; ergò ſi Puer, præcocis Ingenii, & Judicij, quod in hoc contractu agat, intelligat, erit validus. 2. quià cum* Sponſalia *ſint Via, & diſpoſitio ad Matrimonium, eô ipsô, quod Jus diſpoſuit, in Matrimonio Malitiam ſupplere ætatem, Cod. de illis & 2. de Deſponſat. Impuber. cenſetur idem diſpoſuiſſe in Sponſalibus, per leg. Oratio ff. de Sponſalibus = & ità tenent Theologi, qui videri poſſunt apud eundem Sanchez.*

107. Et hanc concluſionem firmat, utì veriorem *Pirhing. in Jus Canonicum Tit. de deſponſat. Impuber. §.3. num.*12. ibi = *An valeant Sponſalia antè Septennium, ſi eò tempore Contrahentes jam ſint præditi diſcretione, & uſu rationis: reſp. veriùs eſſe, tùnc validè contrahi Sponſalia, etiam antè* Sepeennium. =

108. *Reiffenſtuel. in Jus Canonicum lib.4. Tit. de Deſponſat. Impuber. num.4.* ibi = *Si Malitia, ſeù potiùs Prudentia ſuppleat ætatem, antè Septennium, jam quis veniat ad Uſum Rationis, etiàm tùnc valebùnt Sponſalia.*

109. *Schmalzgrueler. in Jus Canonicum Tit.2. de Deſponſat. Impub. num.*10., latè examinato Articulo, ità concludit. = *Sed communior, & probabilior eſt ſententia, quod eô caſu Sponſalia, à nondùm Septenni contràcta, etiàm Jure poſitivo ſint valida.* =

110. Probatur hæc Sententia Auctoritate Textus *in Cap. Juvenis 3. de Sponſ.* ubì Juvenis, qui poſt Sponſalia cum Puellâ, nondùm Septenni, contracta, Conſobrinam illius duxit, jubetur ab hâc ſeparari, ob impedimentum publicæ honeſta-

 tis

tis ortum, ex primis Sponſalibus. Igitur valida fuerunt illa Sponſalia, & eo Caſu cenſeri debet defectus ætatis fuiſſe ſuppletus, malitiâ præveniente.

111. His omnibus addantur, quæ ſcripſit doctiſſimus *Cuiacius*, ad præfatum Canonem, in *d. cap. Juvenis De Sponſalibus* ibi = *Ad hæc: quod ex Gloſsâ Bernardi colligitur, cum Infante Puellâ rectè contrahi Sponſalia, ſi malitia ſuppleat ætatem, ut loquitur leg.3. Cod. ſi min. major. id verum eſſe poſſit; Modò illa proxima fuerit ætati legitimæ, ideſt Septennio, exemplo Matrimonii, quod rectè contrahitur cum eâ, quæ eſt proxima Pubertati cap.9. tit. ſequen. Et ità etiam idem Bernardus definit, in cap. Sponſa. hujus Tit., & Aquinas probat, quià ut Ariſtot. ait. quod parum abeſt, de eo ſentimus, ac ſi nullo modo abeſſet. Parum abeſt ab ætate legittimâ. Ergo ſi intelligat quid agatur, ſi intelligentia ſuppleat ætatem, nihil ea res officere debet vel Sponſalibus, vel Nuptiis contrahendis.*

112. Nec obſtant Canones, ſeu Jura, quæ in contrarium poſſunt allegari, decernentia, non valère Sponſalia, niſi contracta, completo Septennio, quia intelligenda ſunt juxtà ordinariam Naturam; Nam Pueri, niſi completo Septennio, non intelligunt, quid agant, ſecus autem, ſi præcoces ſunt ingenio, & Malitia, ſeù prudentia ſupplet ætatem, ut videre eſt apud Doctores ſuprà allegatos, & in ſpecie ad relatum *Schmalzgrueber in Jus Canonicum, loco citato, de Deſponſat. Impuberum n.12. qui optimè reſpondet ad Argumenta*, ibi = *Neque obſtant argumenta allata in contrarium; ad 1. Ideò ſolum à Jure, prò Sponſalibus, certa definita ætas eſt, quià præſumitur Uſus rationis in Puero Septenni, non verò antè eam ætatem, nisì contrarium manifeſtè appareat. Ad 2. Verba illa, ſi non ſint minores, quam ſeptem annis = ità intelligi debent, ut non evertant prima, quibus Modeſtinus in l. cit. dixit, ætatem prò Sponſalibus non eſſe ità definitam, ſicut in Matrimonio; Atque ſi determinatè Juriſconſultus requireret Septennium, verba iſta, per dictam Clauſulam, clarè everterentur; Nàm vera eſſet oppoſita propoſitio: ætas pro Sponſalibus eſt definita = Igitur dicendum eâ lege ſolummodò intendi, quod ordinariè antè ſeptimum annum non præ-*

præſumatur adeſſe uſus Rationis , & ſic , ex ratione naturali , Sponſalia , in eâ ætate inita , ſunt invalida . =

113. Sacri autem Canones conſiderarunt, ſi malitia ſuppleret etatem in Impuberibus; Probat Bonifacius *in Cod. unico §. Idem quoquè . De Deſponſat. Impuber. in 6.* ibi = *Idem quoquè , ſi Pubes , & Impubes, vel duo Impuberes, non proximi pubertati , & in quibus ætatem malitia non ſuppleret .* =

114. Ex quibus, & tot Auctoritatibus, egregiè comprobantibus, valère ſponſalia, antè ſeptennium contracta , in quibus deſideratur peculiaris diligentia , ac uſus rationis , eo fortiùs , ſi malitia ſuppleat ætatem , Puella , ante Septennium , capax erit operari , ac intelligere cætera omnia , in quibus adeò talis non deſideratur præſtantia , ſeù uſus rationis ; videmus etenim Pueros,potiſſimum in ludis,ſæpiſſimè grandævosHomines decipere, uti optimè adnotavit *Pater Schmalzgmeber in Jus Canonicum lib.5. tit. de delictis Puerorum num.*4. ibi = *Quià hodiernis temporibus , etiam minores Septennio , doli capaces eſſe , ſatis demonſtrat experientia , ex qua patet , Infantes hodiè meliùs ſcire ad taxillos ludere , & alios decipere , quam majores triginta annorum* = Et in præciſis terminis ſponſalium , quæ ſint contracta cum Puella, quæ ſextum annum exceſſit, non poſſe reprobari ab Homine , vèl aliam Uxorem ducere, eò quià in eâ ætate , propter concupiſcentiam Mulier dicatur Hominis capax , examinato articulo , reſpondit *Balſamon ad Nomocanon Photii tit.*13 *fol.*1101. ibi = *Tù igitur dic, quod ſi Perſona , quæ ei , qui ſacerdos fieri vult , deſponſata eſt , tempore reprobationis Inſtrumentorum , ſextum annum exceſſerit , non permittetur ei , quæ inſtrumenta , vèl â Lege non confirmata Sponſalia interpoſuit, ut alteri mulieri conjungatur , aut ſic Sacerdos fiat , tamquàm bis Matrimonium contraxiſſe reputetur , [idque] propter concupiſcentiam , & quod Mulier Amoris capax ſit .* cum autem Puella noſtra exceſſerit ſextum Annum, & jam ingreſſa ſit in ſeptimo , quomodò dicere quis valet, eam abſolutè non eſſe capacem Intelligentiæ , ſeù uſus rationis ?

115. Sic etiam, in Jure noſtro, plurima habemus celebrata Sponſalia , inter Pueros nondùm ſeptennes , quæ licet à ſacris

 Cano-

Canonibus non fuerint declarata valida, attamen comprobant, Puerorum malitiam, ac extraordinariam eorum Libidinem, ut habemus in *cap. Duo Pueri, de deſponſat. Impuber.* ibi = *Duo Pueri Gulielmus, & Gulielma Matrimonialiter ſunt conjuncti, Puero ſextum, Puellâ vero Septimum Annum agente, qui ſimul per tres Annos manſerunt.* = Habemus quoquè Sponſalia, contracta cum Puellâ ſeptenni,& extraordinariâ libidinè pollutâ, utì legitur in *cap. Fraternitati. de eò qui cognovit.*

116. Credimus, ſi nos noſtra non fallit opinio, ſatis comprobaſſe Puellam, nondum completo ſeptennio, capacem eſſe validè contrahendi Sponſalia, multòque magis eam alias inire poſſe actiones, & intelligere quid agat, ſi ea ſit præcocis Ingenij,ſeù ſi in eâ malitia ſuppleat ætatem.

117. Puellam autem noſtram eſſe præcocis Ingenii, & in eà malitiam ſupplere etatem, ipſemet Fiſcus declaravit, dum eam ſubiecit examini, eamque monuit de veritate dicendà, in ipſo examine, quæ monitio hodiè ſubrogata eſt loco Juramenti, juxtà notiſſimam Conſtitutionem ſ. m. Benedicti XIII.; nam Impuberes, qui ſextum ætatis non excedunt, nec admittuntur ad dicendum Teſtimonium *l. Invit. ff. de Teſtibus*, propter eorum lubricum Conſilium *l.3. §. Lege Julia ff. de Teſtibus*. ſicutì Infantes, qui non ſunt doli capaces, nequeunt cogi jurare in judicio *l. Jus Jurandum §. Pupillo ff. de Jurejurando*. Quomodò ergò poterit hodiè dici, hanc Puellam non habere uſum rationis, nec intelligere quid agat?

118. Examen iſtud ſeriò perpendatur, & dignoſcemus, quam congruè, & ordinatè Puella reſpondeat ad Interrogationes ſibi factus, & quantum diſcernat inter bonum, & malum, ut patet ex illius Conſtituto, in quò etiam illud peculiare habetur, quod ſe demonſtravit conſciam rerum veneris, potiſſimum per ea verba, dum dixit = *Il ſuo Pipino toſto nella mia Pipina* = & ex eodem examine convincitur ejuſdem cognitio boni, & mali, ſeu mei, & Tui, nam in fine examinis legitur, Inquiſitum eam dimiſiſſe per Portam Impluvii, vulgò = *Cortile* = *dicendo: che era mezzo ſuo, e mezzo mio* = per quæ verba haud inficiari valet, in Puellà noſtrà concurrere cognitionem Mei, &

Tui

Tui, undè quadrant mirificè huic hypotheſi ea, quæ ſcripſit Narbon. de ætat. anno. 7. num.9. & 10. ibi = *Aliis citiùs, & antè ſeptennii initium, contingit uſus rationis, velutì ſuprà notavimus: ſciendum eſt nonnulla eſſe ſigna, ex quibus manifeſtè deprehendi poteſt, Pueros eſſe rationis participes, utputà ſi inter bonum, & malum, & màgis, aut minùs bonum diſcernere ſciant. VEL CUM ORDINATE' AD INTERROGATA RESPONDENT.*

119. Perluſtrentur etiam depoſitiones octo Textium, quos Fiſcus habuit, utì rite, & rectè examinatos, & deprehendetur, Puellam hanc conſuetam eſſe ire per Tabernas Vinarias, & Salſamentarias, ad emendum Vinum, ſeù Victualia; pecuniam expendere; per Vias Publicas, & Plateas, non ſolum die, ſed etiam noctù diſcurrere, ut dicti Teſtes deponunt; unde non eſſet os ponere in cælum, ſi diceremus, Puellam hanc fuiſſe anteà ab aliquo Nebulone corruptam, urgente potiſſimum maximà ſuſpicione ex eò, quod in hoc Stupro nullum paſſa ſit damnum, nulloque indiguerit medicamine, quinimò eàdem horà, vèl certè ſequenti, poſt paſſum prætenſum Stuprum, pedibus propriis ivit ad Tribunal, domum rediit, & toto illo tempore, quò apud Matrem remanſit, viſa fuit Jocare, ludere, & diſcurrere per Plateas & Vias publicas, utì anteà conſueverat, nam ſi verè Stuprata fuiſſet, utpotè Puella tenerioris ætatis, magnum paſſa fuiſſet damnum, ſeù vulnus, ad quod ſanandum fomentis indiguiſſet, aliovè medicamine, ut ad Rem noſtram advertit *Zacchias quæſt.medic. legal. lib.4.tit.2.queſt.3.* ubi agit de ſignis violatæ Virginitatis, ibi = *Si enim, ex.gr., Virgo tenellæ eſſet ætatis, nempè infrà decimum quartum annum, Habitudine gracilis, & genitalibus anguſtis, & exilibus, contraria autem omnia eluceſcerent in eò, qui Stuprator præſumitur, tùnc, non apparente evidenti corruptione, & ſignis manifeſtiſſimis violatæ Virginitatis, Virgo integra eſt judicanda, etiamſi leviora ſigna, & conjecturæ in contrarium urgèrent; Neceſsè enim, cum in primo congreſſu, in ſimilibus caſibus, tantam interdum Vim Virgines patiantur, (quæ nimirum uterum anguſtum habent, aut tenerioris ætatis ſunt, exiſtente e contrà congreſ-*

greſ-

greſſore Viro maturo, & bene mentulato) ut ex eà violatione vulnus in Utero ad aliquod tempus reperiatur, ad cujus curationem nonnulla præſcribunt Avenz. lib.2. Theiſir. tract.6. cap.8. & Alſaharavius tract.25. cap.29. = Nam ex recitatis verbis Zachiæ poſſumus rationabiliter judicare, non fuiſſe perfectum, ſed tantùm imperfectum, ſeù attentatum Stuprum, ut ex parte Vini fuit certè imperfectum, cum ad fletum Puellæ, ſtatim retraxit Penem, nec intrà, nec extrà Vas ſeminavit.

PARS TERTIA.

Expenduntur Conſiderationes, circa Proceſſum, quibus attentis, nequit fieri condemnatio ad pœnam Ultimi Supplicii.

120. BRevi calamo hujuſmodì conſiderationes, percurremus: & primò Nobis ſe offert Condonatio Injuriæ, ſeu Remiſſio, facta tùm ab Aviâ, tùm à Matre Puellæ prætenſæ Stupratæ, quæ admodum confert ad minorandam pænam Stupratoris, utì advertit *Rainald. iu ſuo voto 103.* Et de veritate hujuſcè Remiſſionis, ſeù Condonationis liquet, cum ſit conſcripta, & obſignata Caractere Pauperum Patroni, ſeù Procuratoris.

121. Omittimus, ultrò quîdem, alteram, licet quoad Nos non levioris ponderis, Conſiderationem, quod Captura fuit facta à Birruariis, nullô præcedente Judicis Mandato, quæ Irregularitas non ſolùm conſideratur â Doctoribus, ſed potiſſimùm profluit ex peculiari Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI XIV. Papæ feliciter Regnantis, in quâ hujuſmodi Capturæ, inconſultô Iudice, factæ à Birruariis, ſub graviori pœnâ prohibentur; Cum etiam admodum hujuſmodi Injuſtitiam Capturæ conſiderent Criminaliſtæ, adeò, ut ſi Reus ità iniuſtè captus, ſuum fateatur delictum, ex ſuâ nequeat confeſ-

ſione

ſione damnari, ut docet Boſſius *tit. de Capturâ num.8.* ibi = *Et ideò habetur conſideratio Capturæ Injuſtæ, ut licet poſteà Reus fateatur ſpontè delictum, tamèn talis confeſſio non videatur ſufficere ad condemnandum* =

122. Altera, & Urgentior ſubſequitur Conſideratio; Nam ſicutì juxtà vulgatum Adagium = *Reus Male Captus, benè retentus* = Statìm Judex rigoroſo ſubjecit examini Inquiſitum, nullis præviis Indiciis, ſuper delicto, nec conſtito de ejuſdem corpore delicti; Undè cum in hujuſmodì examine ſpontè Reus faſſus fuerit delictum, & Fiſcus huic confeſſioni innitatur, clarum eſt, quod ex hujuſmodi confeſſione, nequeat Reus ad pœnam ordinariam condemnari, ut in conſimili examine docuit *Gnazzin. ad defenſ. Reor. defenſ.20. cap.7. num.8.* ibi = *Ad quod Advocatus animadvertere debet, quià ſi fuerit interrogatus de delicto, & faſſus fuerit illud, confeſſionem non afficere confitentem.*

123. Super hâc ſpontaneâ Rei confeſſione, gemina veniunt pernèceſsè perpendenda: Alterum nempè, iſtud examen eſſe ſcriptum perfectâ linguâ Romanâ, ſeù potiùs Etruſcâ. Quomodo ergo Reus, Homo Idiota, in Oppido Capræcoctæ, Provinciæ Aprutii natus, & educatus, qui in ætate provectâ Romam venit, & tantùm Romæ per triennium moram traxit, potuit tam citò Romanam linguam ità ediſcere, ut propriâ naturali prorſus oblitâ, perfectè Romanam Linguam loquutus fuerit? ut ex ſuo examine conſtat, in quô nullum Verbum redolet Regnicolam Linguam, ſeù Maternam; Unde maxima urget, & vehemens ſuſpicio, eſſe propria Notarii Verba, quæ in examine leguntur, non autem Rei, quod eſt abſurdum, cum tritum ſit, atque notorium, Notarios debere ſcribere verba eö Idiomate, quô proferuntur tùm â Reis, tùm â Teſtibus, juxtà clariſſimam Conſtitutionem ſa. me. Pauli V. quæ Incip. Univerſi Agri Dominici. editam de anno 1611. ſub §.10. De Judicibus Criminalibus Urbis *num.21.* ibi = *Reſponſiones ſimiliter Reorum, & teſtium, integrè de verbo ad verbum, prout ex eorum ore profluunt, etiam quad contra Fiſcum ſint, non diminutè, nec per relationem; & in externæ Nationis Hominibus,*

bus, adhibito Scribâ, vel Interprete illius linguæ perito, fideliter ſcribi faciant =

124. Altera autem conſideratio eſt, confeſſionem Rei in Criminalibus non ſufficere ad illum condemnandum, niſi aliundè conſtet de delicto ad *Text. in leg.* 1. *§. D. Severus §. Si quis ultrò ff. de quæſt.*

125. Hanc neceſſitatem probationis cognoſcens Fiſcus, duos induxit Teſtes, qui minimè concludunt, seù probant delictum: Primus etenìm teſtis *Joſeph Pennacchia* Salſamentarius nullam meretur fidem, cum falſum in ſubſtantialibus deponat, dum loquendo de Puellâ dicit = *La quale era tutta indolita, ne poteva camminare* = quomodò potuerit aſſerere hoc impudentiſſimum mendacium, cum contrarium deponant octo Teſtes unanimes, per hæc Verba = *Come altresì oſſervaſſimo, che la detta Silvia, con Roſa di Lei Nonna andiede, e ritornò a piedi dal Tribnnale del Gooerno, nell'iſteſſo giorno del caſo ſeguitoli col Pettinaro, abitante in detta Piazza, camminando ſpeditamente, ſenza moſtrare alcuno impedimento, e dopo detto fatto, per tutto il tempo ſeguente, nel quale è ſtata preſſo la Madre, giocare come prima, per d. Piazza, ſenza che ſii ſtata inferma per detta Cauſa, nè curata da Medici, e Chirurgi* = prout latè apparet ex dicta depoſitione, à Fiſco approbatâ.

126. Alter verò Teſtis deponit de conqueſtionibus, de Auditu â Matre, & Avia; Qui Teſtis, ſi aliquam fortasſè faceret probationem, non eſt attendendus, quia eſt Teſtis de Auditu, & quod magis eſt, Teſtis eſt unicus, cujus depoſitio certè non ſufficit ad Reum condemnandum, nam ſaltem duo requiruntur Teſtes, juxtà Effatum Divinum = *In ore duorum, vèl trium ſtat omne Verbnm*, & facit Juris Conſultus *in leg. Ubi numerus ff. de Teſtibus*.

127. Certum itaque eſt, in Jure noſtro fundamentum cujuſcumque Proceſſus Criminalis eſſe probationem corporis delicti, ſine quâ nemo poteſt condemnari, & non ſolum probandum eſt delictum, ſed etiam probandum eſt, fuiſſe illud ſcelere patratum *in leg. prima §. Illud ſciendum ff. ad Senat. Conſult. Sijlanian.*

128. Quantum diſtemus ab hujuſmodì probatione, liquet

ex

ex geminâ inſpectione, per Chirurgos factâ, hujuſcè Puellæ, ad inſtantiam ejuſdem Fiſci; Prima ſiquidem inſpectio eſt evidenter erronea, & fallax, nam de eâ poſſet jure meritò dici, quod dixit D. Cyprianus, de Obſtetricibus, relatus à Gratiano *in Cap. Nec aliqua. cauſ. 27. quæſt. 2.* = *Manus, & Oculi Obſtetricum ſæpè falluntur* = Idem que poſſumus dicere de Chirurgis illis, dum non erubuerunt affirmare de hâc Puellâ fuiſſe vitiatam, & nihilominùs = *Che nell'eſterno di ſua Natura, non vi era alcuna alterazione* = cum ex Judicio omnium Medicorum, ſi Stuprator benè mentulatus eſt, in Orificio Vaginæ Puellæ Stupratæ apparent ſciſſuræ; ſi minùs mentulatus eſt, circâ Oram Vaginæ apparet Circulus rubeus, ſeù rubicundus, dum ultrà Doctores, alias allegatos ad defenſam rei, ſuperaddenda eſt auctoritas *Coſpi Il Giud. criminal. part. 3. cap. 38. Torre de Stupro argumen. 48. num. 38.*, qui etiam advertunt, ſtatìm poſt ſequutum Stuprum, ſi Stuprator ſit in manibus Juſtitiæ, eſſe viſitandum illius Membrum Virile, in quô apparebit Tumor quidam, conceptus ex vi factâ in Stuprando.

129. Sed quid luboramus in explicanda imperfectione hujuſcè inſpectionis? quam undequaque imperfectam recognovit ipſemet ſubſtitutus Fiſcalis, cum inſteterit, ut denuò Puella vocaretur ad Tribunal, ad effectum novam faciendi inſpectionem Puellæ, per Chirurgos Peritiores.

130. Serotinam tamen fuiſſe, ac inutilem inſpectionem, noviter factam, per Chirurgos, licet Peritiores, clarè conſtat, quià cum non fuerit Puella retenta in loco tuto, & periculum adfuerit, potuiſſe vitiari, ut in conſimilibus terminis docet Barboſa *in Cap. Cauſam, da probat.* ibi = *Matronæ, quæ in cauſa Matrimonii Separandi atteſtatæ ſunt, Puellam eſſe Virginem, reprobari a Viro per alias probationes, quæ ſunt recipiendæ per novas Matronas, eſt expediendum de Virginitate*, ET INTERIM PUELLA HABERI DEBET IN LOCO TUTO, NE PATIATUR VIOLENTIAM =, ubi latè firmant Concordan. per eumdem *Barbos loco ſupra allegato*.

131. Porrò autem Puellam eô tempore, quô remanſit apud Matrem ſuam incuſtodita, potuiſſe pati aliquam Violentiam,

non

non eſt res extrà fidem humanam, nam quandoque ipſæ etiam Obſtetrìces, dum manu explorant Virginitatem Puellæ, perdnnt, ſeù corrumpunt, ità teſtante D. Auguſtino, de Trinitate Dei *lib.* 1. *Cap.* 18. ibi = *Obſtetrix Virginis cuiuſdam integritatem manu velut explorans ſivè malevolentiâ, ſivè inſcientia, ſivè caſu, dum inſpicit, perdit* =

132. Hujuſmodi Caſum in Puella hàc eveniſſe, hoc perſuadet, ſi animadvertatur, Nos agere de Puellâ tenerioris ætatis, quâ attentâ qualitate, Carnes in eâ faciliùs conſtringi debuerant, & Uulnus Sanari, utì advertit præfatus *Coſpi dicto lib.3. cap. 38.*, & nihilominus contrarium ſucceſſit; Nam in prima Inſpectione Chirurgi introduxerunt Digitum Auricularem, in ſecundâ introduxerunt Digitum Indicem, quì eſt latior Digito Auriculari, & tamen debebat eſſe magìs reſtricta, ob ſupradictam Rationem, â Coſpio productam.

133. Colligendo Vela Sermonis Noſtri, Humillimè deprecamur, obſecramuſque animadvertere, Doctores òmnes, aſſerentes Ultimò damnandos eſſe ſupplicio Stupratores, ex præſumptâ Vi, in Puellâ non excedente, ſeptennium ferè omnes innìti totiès laudato *Pauli Reſponſo in §. Qui Puero*; qui verè, ut oſtendimus, Stupratores decernit coercendos eſſe dumtaxàt pœna Metalli, cui Pœnæ, cum hodie ſubrogata ſit pœna Triremium, huic in præſenti tantùm condemnari potuit Inquiſitus; Attento Jure Statutario, Civili, & Canonico; potiſſimùm etiam, quià agitur hìc de Stupro imperfecto, tàm reſpectu Stupratoris, qui, in ferveſcenti Libidinis calore, ad ſe Penem retraxit, nec intrà, nec extrà Vas Semen effudit, quam ex parte Puellæ, quæ nullum paſſa fuit damnum, nec ullo medicamine indiguit; Undè vèl non fuit ab inquiſito corrupta, vel certè Stuprum fuit imperfectum, ut ad evidentiam uſquè patèbit ex eruditiſſimâ Elucubratione præſtantiſſimi Viri Cajetani Petrioli, Anotomiæ, & Chirurgiæ Profeſſoris, ſummo cum labore, ac ſtudio, maximöque Ingenio, ad rem hanc elucidendam, elaborarâ, & ex ejus Operibus deſumpta, quam adnectimus, in Appendice, ad præſentem noſtram Diſſertationem.

F I N I S.

DISSERTATIO PHISICO-ANATOMICA

DE

MEMBRANA HYMEN,

EJUSQUE SITU, LACERATIONE, RECOGNITIONE,

AC SUMMA DIFFICULTATE IN DISCERNENDO PRIMO EJUSDEM DEFLORATORE

OPERE, AC STUDIO ELABORATA

EXCELLENTISSIMI DOCTORIS, AC REGII CHIRURGI

CAJETANI PETRIOLI ROMANI

Ex ipſius Operibus deſumpta.

Unâ cum Tabulâ Aere inciſâ.

ROMÆ, MDCCLIV.

SUPERIORUM LICENTIA.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſ. Patr.Mag. Sac. Pal.Ap.
F. M. de Rubeis Patriarch. Coſtantinopolit. Viceſ.

APPROBATIO.

QUum egregiam, & valde proficuam Diſſertationem ab Exmo Doctore Cajetano Petrioli Chirurgo Regio &c. peractam, jubente Rmo P. Mag. Sacr. Palat. Apoſt. Auguſtino Orſi, attente perlegerim, nihil in ea reperi, quod noſtræ Catholicæ Fidei, boniſque moribus repugnet, ſed variis obſervationibus, doctiſque auctoritatibus eſſe ornatam. Idcirco præſens opus publicis typis committendum eſſe jure meritoque exiſtimo. Romæ ſexto Idus Martii MDCCLIV.

Cammillus Barbiellini Romanus Philoſophiæ, ac Medicinæ Profeſſor.

IMPRIMATUR,

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Mag. Sac. Palat. Apoſt. Ord. Præd.

DISSERTATIO.

1. NULLAM profectò utilitatem, nullumque ornamentum, ac commodum Medicinæ, & Chirurgiæ Profeſſoribus præſtare poſſe ſpeculativam Philoſophiam, humaniores Litteras, cœteraſque Scientias, ſemper mecum ipſe in Animum duxi, si, pro medendis Humani Corporis languoribus, internos mirabilis Naturæ Sinus adeuntes, uſum ab ipsâ non didicerint, ejuſque Phenomena, Myſteria, & Arcana detegentes eam interius, exteriuſque non penetrent. Id præcipuè in mirabili ſtructurâ MEMBRANÆ HYMEN, quæ proprium eſt, & univocum ſignum Virginitatis, de quâ in præſentiarum Sermo inſtituitur, eſſe obſervandum facilè Experientia demonſtrat, cum tot, tantæque ſint Sapientiſſimorum Virorum, circa ipſiuſmet HYMENIS Eſſentiam, Figuram, Subſtantiam, ſitum, & deficientiam, Opiniones, ut vix de eâ poſſit in quòlibet ſtatu, quiſque, in Rebus etiam Chirurgicis, & Anatomicis valdè verſatus, ſententiam ferre, minuſque, de ejus laceratione, pro vero ejuſdem Strupatore inveſtigando, abſque propriæ æſtimationis, alterius famæ, & aliquoties Vitæ periculo, Judicium tradere valeat. Priuſquam autem, olim per me inchoatas, Anatomicas Obſervationes protraherem, conſultum duxi, pauliſper ab Inſtituto decedere, & celeberrimæ MEMBRANÆ HYMENIS, tam-

diù, & tam acriter propugnatæ, breviſſimum inſtituere ſermonem, eamque tam in ſtatu naturali, quam morboſo deſcribere, ut ſæpiſſimè in Puellis invèni, altero luſtro minoribus, & ut delineari ac diligenter incidi curavi in octavâ ex adiunctis deficientibus Tabulis Bartholomæi Euſtachii Tom. III. tam extra proprium Situm in V. quam in naturali Situ in VIII. ejuſdem Figurâ detectàm ab ejus delicatiori Membranâ, Tunicâ internâ Vaginæ dotatam, ut hujuſmodi ſeparatione conſpici poſſet mirabilis cujuſcumque generis Canaliculorum Structura, quibus illa componitur, nondum ab Anatomicis tam accuratè præparata, ac diſſecta.

2. Ut autem, ordine quodam recto, & planâ inſimul Methodo procedam; ab ejus Eſſentiâ initium ducam: Eſt itaque Hymen, ſeu Υμενιον, Membrana quædam mollis, mediocriter reſiſtens, ſemperque â Naturâ progenita, flexibilis, & ſenſus exquiſitiſſimi, plus, minuſvè valida, & tenax, juxta Majus, minuſvè robur, & magnitudinem Virginis, quæ orbiculariter Vaginæ ingreſſui per propria Ligamenta eſt obligata.

3. Ipſius Figura eſt rotunda, perpolita, & æqualis tam intùs, quam extrà, magnitudinis fermè Quinarii, Coloris rubicundi, & facilis dilaniatu: In medio foramen adeſt, rotundum pariter, & æquale vulgari Circumferentiæ Calami, vix in Virginibus capax minimi Digiti Apicem excipiendi. Eſt Ora in Summitate, (Sat quidem mollis,) ad majus ejuſdem robur inſtituta, & mirabili ſtructurâ diverſorum Canaliculorum compoſita: Si ex parte, quæ Pudendum reſpicit, comprimatur, ob ejus flexibilitatem, fit Concava, Convexa e contrà, aut Gibba si ex Superiori parte, & interna vaginæ impellatur, cum nullum habeat in medio Membrana hujuſmodi fulcimentum, quod eam, nê in Vacuis tendat, ſuſtineat.

4. Hymenis iſtius ſubſtantia conſtat ex Arterioſis, & Venoſis Vaſibus, quæ Propagines ſunt ſubtiliſſimæ Arteriarum, Venarumque Hypogaſtricarum, in ipsâ poſt Illiacas, protractarum, ſimulque tenuiſſimorum nervorum derivantium â Truncis Lumbarium provenientium â diverſis principiis, âSpinali Medullâ

por-

porrectis, qui ſeſe inter contexti tenuiſſimum, & intricatum valdé ſertum efformant, fortaſſé illi ſimile, quod Iridem componit, ante Membranam Uveam, ut ipſamet HIMEN, in medio perforatam.

5 Hujuſmodi impreteribilis, & conſtantiſſimus Membranæ ſitus continuatus remanet circâ aditum Orbicularem Vaginæ, cum quâ tum anterius, & ad ipſam Superius, tum ſubtus, ac immediaté ad Urinarii Meatus ingreſſum unitur, prout etiam internis Nimpharum Parietibus, inferiuſque ad Lagunarum Muliebrium internum Latus, Pirineum verſus, ſuper Foveam navicularem, ubi interius terminum facit fiſſura Magna Tab. VIII. fig. I. obſignata.

6 Quoad innegabilem hujuſce Virginalis Membranæ, ſeu HYMENIS Exiſtentiam, cum non ſit facile ſemper eamdem adinvienire, non quod naturaliter deficiat, ſed quia ob multas, varaſque cauſas, quæ ad ejus deſtructionem in Virginibus concurrunt, ſæpiſſime non inveniatur; idcirco nonnulli Anotomiæ Profeſſores, aſſerere non dubitarunt, ſe eamdem in omnibus, quæ inciderunt, Cadaveribus, non reperiſſe; Verum enim verò inanis, & futilis eſt talis aſſertio, quoniam ſi umquam iſta deficeret, nequidem verum, et diſtinctivum ſignum adeſſet Virginitatis, nec hujuſmodi Caractere, ſigni videlicèt Virginitatis, ad id fuiſſet Muneris conſiderata.

7 Egomet tamen, pace tam magni nominis Auctorum, hujuſmodi HYMENEM negantium, pro certo aſſerere contrarium poſſum ex eo, quod, Cadavera incidendo, in multis ſæpe ſæpius Virginibus intactam repererim, in dictæ Vaginæ aditu; Attamen hæc per memetipſum loqui, & ſcribere metuerem, adverſus tot celeberrimorum opinionem Virorum, niſi Veſalius, Magiſter præſtantiſſimus, ſimulque tot, tantique præclari Naturæ Inveſtigatores & antiqui & moderni, firmiter affirmarent, ipſos quoque in ſimilibus Cadaveribus reperiſſe, adeoque in aeneis Tabulis incidiſſe, cum eruditiſſimâ ederent Opera, omnigenâ fide digna, inferius pronuncianda: Et ut a præmemorato *Veſalio* inter antiquiſſimos, qui eam quidem fatentur, minime

com-

commemorando initium ducam, in *Tract. de Ute.* 20. *cap*: 410. ſic mirifice illam deſcribit = *A tergo etiam hujus colli Veſſicæ inſertionis, pauleve interius carnea occurrit membrana, quæ Hymen, & Eugion appellata, Virginibus eſt peculiaris; In cæteris namque Mulieribus coitu, aut alioquin petulanti quopiam attritu divulſa, laceratave aboletur, neque interſecandum, aliaſve liquido ſeſe offert: quum interim, vel citra diſſectionem in puellis diductis nimirum, illarum, perinde ac ſi emicturæ eſſent, cruribus perſæpè viſitur.* =

8 Eamdem Membranam Hymen reperiſſe affirmant *Arcangel. Piccolom. De Utero*. *pag.* 192. *Fallopp. Inſtitut. Anatomic. pag.* 261. *Columb. pag.* 242., *Vidovidius in ſuo Tract. Anotomiæ*, qui etiam eam indicat in figurâ *pag.* 282., *Isbrandus Diamerbroech Lib.* 1. *pag.* 211., qui eam præclarè deſcribit his verbis = *infra inſertionem colli Veſſicæ in Virginibus membrana tenuis, ac nervea ſubſtantiæ colli continuata, ejuſque parietibus orbiculatim adhæreſcens fibris carnoſis intertexta, & arteriolis, venuliſque multis donata, atque ad menſtruorum fluxum in medio perforata, ut in adultioribus minimi digiti apicem admittat, transverſim expanditur, qua Hymenem veteres (hinc Deus Hymeneus olim conſtitutus fuit, qui Virginibus nubentibus præeſſe putabatur) alii Clauſtrum, alii Zonam Caſtitatis appellarunt, ejus integritas Virginitatis certum indicium ſemper habitum fuit, cum in primo coitu à membro Viri neceſſario rumpatur, & ſanguinem emittat, quam florem virginitatis vocant, de quo etiam Textus Sacer mentionem facit Deuteron. cap.* 22. *Poſt eruptionem verò evaneſcit, nec unquam regeneratur* = Et *Verejen.* inter noſtros modernos Inveſtigatores *pag.* 142. ità eam denunciat = *Porro hiſce prima editione divulgatis, ſeſe mihi obtulit occaſio examinandi partes genitales Puellæ* 25. *annorum, morbo deſumptæ, in qua ad vaginæ Orificium manifeſte reperi velum aliquod membranaceum, vaginæ lateribus toto ambitu adnatum, ejuſque orificium pro magna parte occludens, prout ſcilicet proſtrat in Tab.* 16. *&* 17. *figur.* 1. *videbatur autem mihi velum iſtud productum à Tunica vaginæ interna.* =

5. Poſſem

9 Poſſem hic quampiurimas in medium afferre auctoritates celebriorum Naturæ Speculatorum, ſed nimis longus eſſem, eas omnes commemorando: ſatis, ſuperque ſit pro omnibus proximioris, & adhuc Viventis Anatomici *Laurentii Heiſteri* opinionem adducere, qui *pag.* 104. *ejus Compendii Anotomici* breviter, & eruditè illam deſcribit = *Hymen eſt Membrana modo circularis, modo ſemilunaris, modo alia ratione conſtituta in Virginibus, vaginam coarctans, atque in Puellis parvis ſemper præſens, in quibus parvam habet aperturam ad vaginam, in adultis vero plerumque majorem. In coitu primo, niſi forte jam antea læſa, laceratur, ſanguinemque ſæpe fundit* = idque ad elucidandam Facti Veritatem, non deeſſe nimirum in Mulieribus Membranam hanc. Et eô magis, quod Doctores iſti modo allegati minime Auctores, ſunt, qui alienas opiniones tranſcribere indiguerint, cum propriis ſtudiis, ac Tabulis certas Leges, & documenta tradiderint Anotomiæ Profeſſionibus.

10. Falcem autem, juxta commune Effatum, Experientia Radicibus Incredulorum immittit, qui ajunt, non dari in Natura impreteribilem Membranam Hymen, & eam, quæ extollitur ad operiendum Vaginæ Orificium, ſæpe ſæpius minime in medio pertuſam, falſam eſſe, & præternaturalem, quamvis in ipſo impreſſa ſit ſitu, ſit ejuſdem Figuræ, ejuſdemque ſubſtantiæ; quæ ipſius deficientiâ foraminis, Timpano aſſimilatur Auditorio, aut Cochleari Conchæ, ex quô hujuſmodi fortaſsè Virgines clauſæ dicuntur; Nam Mulieres has, ſeù, ut verius dicam, Membranas iſtas impervias ſolent Chirurgiæ Profeſſores reſcindere, ut humores impuri, qui tam ab Utero, quam â Vaginâ irruunt, poſſint diffluere, ut Mihimetipſi ſæpius agere opus fuit, in Crucis ſimilitudinem aperiendo, & in quatuor partes Hymenem eamdem dilatando, in Vaginæ Parietibus, ex quâ ſic diſrupta Hymene quatuor *Mirtiformes Carunculæ* efformatæ fuere, ac falsò receptæ pro ſigno Virginitatis â Nonnullis Anatomiæ Profeſſoribus, qui ut plenè errorem deponant, nec amplius, ut verum aſſerant, quod effantur, *Heiſterium* laudatum audiant, qui in dictâ pag. circà factum hujuſmodi ſtructurale, ſic illos inſtruit, dicens: =

Ca-

Carunculæ mirtiformes ex Hymenis laceratione oriuntur, & nunc duæ, tres, nunc quatuor eo ipſo loco obſervantur, ubi olim Hymen erat. = Et de nequaquam perforatæ Hymenis Eſſentia, inter tot, tantoſque celeberrimos Scriptores, Maximi Nominis Doctorem, legamus *Ambroſ. Parèum lib. 23. pag. 713.* ibi = *Reperi igitur membranam quamdam nervoſam tenuiſſimam ſub Nymphis, proxime id foramen, per quod muliebris urina effluit, pro foribus (ut ſic loquar) orificii Uteri, medio, ſed exiguo foramine membranula illa pervia erat, qua menſes diffluere poſſent. Contemplatus ergo membranulæ illius tenuitatem, ipſam aduncis Volſellis reſcidi, quidque ad reliquam curationem factu eſſet opus Matremadmonui, certe nupſit illa paulo poſt, & prolem peperit* = Non eſt hæc igitur Membrana Hymen, quam *Graffius* inficiatur *Fig.* 1. *Tab.* 4. in Aditu dictæ Vaginæ? cum dicit = *Recens natæ ſex annorum Pudendum exhibet* = obtecta interiori Vaginæ Membrana, per Me poſtmodum in V. & VIII. ab eâ ſeparata, ut cujuſcumque generis Canaliculorum, ipſammet componentium, mirificum ſertum appareat? Et ſi illa eadem eſt profectò ob ſitum, ob ſubſtantiam, & ob Figuram, cur eam denegant? Scribentes, veniâ illorum dicam, aliud, aliud delineantes, niſi ad cœteros deludendos Authores, qui illam denegant? ut facilè obſervatu venit in pleriſque, qui aliorum Authoritatibus innixi, nimium fortaſsè ab eis Veneratione dignis exiſtimatis, in errores prolapſi ſunt; inter quos attamen minimè connumerandus eſt Scultetus, qui in Armamentario Chirurgico ità eam delineat ſub Fig. II. Tab. XLIII. dicens = *Oſtendit Membranam Pudendo Muliebri tranſverſim inductam, quam veteres pro Hymen habuerunt, & diſſecarunt, quando integra expurgationem ſanguinis menſtrui, & craſſior ſolito congreſſum conjugalem prohibuit* = facienſque de hujuſmodi non perforatis Membranis, ab eo jure meritò, Hymenis appellatione, conſcriptis, Figuram tertiam, cum Methodo eas recidendi ibi = Membrana, Hymen *dicta, quæ ad expurgationem menſium ſuperius perforata eſt, & ob ſolam craſſitiem concubitum denegat, ſcalpello Falcato Tab. XIV. Fig. IV., cujus apici Globulus cereus affingatur tutiſſime inciditur, ita ut patiens Viro in futurum aptiſſima fiat* = ita quoque

Dan.

Dan. Centur. 3. Aquapend. Oper. Chirurg. cap. 28. Celſ. cap. 28. Severin. cap. 46. Bartolin. oſſervat. centur. 105., Riolan. antipograph. lib. 2. cap. 35., Munich. in obſervat. Lyſeri 13. hæc leguntur = Puella Romana à primo ortu clauſa, niſi quod exiguum eſſe foramen vix Piſum capiens . . . . præter ſpem, & opinionem gravida facta, quincto a conceptu menſe tumentem Puellæ ventrem advertens mater . . . . nè in partu tandem gravius vitæ periculum ſubiret ſectione dirimit, ipſa autem debito tempore Filium peperit =

11. Cùm itaque ejuſmodi Mirtiformes Carunculæ apparent manifeſtiſſimum eſt, non quidem Indicium, ſed certum Deflorationis ſignum eſſe in Virginibus, nonnullis haud obſtantibus orbiculatis Rugis, circà Vaginæ ingreſſum, certis ſiquidem principiis, ac fundamentis Hymenis, ibi in fracturā Membranæ ejuſdem relictis, quoniam nè in falſum incidat Mundus, ob tales pernicioſiſſimos errores, & ad Veritatem clarius oſtendendam, nè quis, ob Membranæ ejuſdem prætenſam deficientiam, deludatur, in ſitu figurato conſtitui, ut dixeram, Hymen, omni diſſolutam Repaculo, Pudendoque detecto, labiiſque fiſſuræ magnæ patentibus *Tab. VIII. Fig. VIII. Tom. III. della ſpiegazione ſopra le otto Tavole aggiunte all' Euſtachio*, ubi etiam hujuſmodi errorem commemoro *cap.* 8. & diffuſius *pag. 39. num.* 156. ſicuti quoquè talis error pronunciatur in *Tom. 2. del Corſo Anatomico pag.* 121., & præcisè *in 1. delle Rifleſſioni pure Anatomiche pag. 87. num.* 353. Indicium ergo Deflorationis eſt, ſi præmemoratæ Carunculæ Mirtiformes appareant.

12. Obfirmatâ igitur infallibili Hymenis exiſtentiâ in Virginibus, ejuſque Situ, Figurâ, Subſtantiâ, & Qualitate, de ejus Laceratione eſt differendum, & ſicuti plures ſunt cauſæ, quæ ad tam memoratam Membranam deſtruendam occurrunt, eas enumerare fas erit, ad clariorem rei elucidationem: ſunt igitur *Internæ* alteræ *Cauſæ*, alteræ *Externæ*: Internæ ſunt Humores Uterini, & vitioſi, necnon illi Vaginæ, qui per contactum, ac immerſionem cum eâdem Membranâ, illam facillimè elidunt prorſuſque diſrumpunt, abſque eô quod nequidem Rugoſa Ve-

ſtigia remaneant, circà Vaginæ Orificium, quæ tamen parva Veſtigia aliquoties pro ſigno Virginitatis fuere ab Ignaris deprehenſa: Relaxatio etiam Uteri eſt cauſa talis Jacturæ, eò quod ipſe hujuſmodi Telæ aut Virginali Clauſtro ſe ſuperimponens eam deſtruit, lacerat, diſſipat, ac divellit adeò ut tales Virgines, ſolummodò Virgines ſint eô, quià non amiſerint conſultò Virginitatem, at non amplius intactæ Virgines, quod ſit in ipſis deperdita Membrana Hymen, ſignum Virginitatis, quô obcluſum, obſignatumque erat Orificium Clauſtri Virginalis, quô diruto, & dilaniato, dilatatæ remanent hujuſmodi partes, & abſquè Repaculo, ad inſtar earum, quæ Viro in Matrimonio conjunctæ, jam anteâ defloratæ, florem amiſerunt Virginitatis; Sed quià in tali caſu Uteri Viæ remanere ſolent magis humentes, quam in aliis Virginibus, hinc eſt, quod in prima Hominis conjunctione non experiuntur hæ defectuoſæ tam triſtia ſyntoma, quam illæ, quæ poſſident talis Membranæ integritatem, ut *Sinibaldus* Archiater, & Medicinæ Profeſſor in Archigymnaſio Romano *lib.4. Tractat.2.pag.555.* juxtà Sententiam *Severini Pinæi* affirmat= ibi = *Quod ne mirum ab humorum acrium colluvie ad uterum, ejuſque ligamenta delabente tanta fieri earum partium relaxatio valeat, ut prolabens uterus, Clauſtroque virginali graviter incumbens ad ipſum, deſtruere, atque corrumpere debeat* =

13. Eò magis quod non eſt difficillima ejuſdem Hymenis diſperſio, dum ſolummodo Saltus violenti, Tuſſes moleſtæ, Sternutationes vehementes, & præcipites Ictus cum Renium percuſſione poſſunt è propriâ Sede Hymenæm eiicere, ut Sinibaldus idem in lib. eodem 4. Tit.2. pag.pariter 555. refert: ibi = *Cæterum quod ab extrinſecis quibuſdam Cauſis hæc ipſa Parthenii floris corruptio contingere poſſit vitio, caſu, ſaltu, magna vociferatione, Tuſſi, Sternutatione, pondere, ictibuſque Renum, oſſiſque Sacri Regione receptis veri ſtimuli eſt* = Et tunc quidem deficit, ſed non ob naturæ defectum, ut falsò nonnulli credidere; ſed ob vitium occaſionale; quinimò & Matres ipſæ non nimis callidæ dum Puellarum, præcipueque lactentium, tenellas partes, circa Vaginæ Orificium, vix tangentes, aliquali tergunt negligentiâ,

Mem-

Membranam hanc deperdere queunt, abſque ſpe quod amplius coaleſcat, & redeat talis Hymen, & ſignum Virginitatis amiſſæ, quod cauſæ eſt cur tot Anotomiæ Profeſſores eam denegent, cum eâ privatæ quamplurimæ ex aliquâ ex ſupradictis cauſis reperiantur.

14. Ulterius evenit abſque Viri Congreſſu in Virginibus laudatæ Membranæ Hymenis laceratio tunc, cum manuum neceſſariis tactibus â Mulieribus ipſis comprimitur, ac titillatur, & ſic ab eiſdem etiam abſque culpa deperditur, quandoque verò malitiâ, cum ſcilicet ad æſtuantem libidinem extinguendam dura Corpora, & renitentia Inſtrumenta intromittunt, quæ certe Canaliculorum lacerationem, & ſanguinis idcircò effuſionem cauſant, ut Sinibaldus ipſe teſtatur loco in eodem, ibi = *Quod vero à digito, aut alio quovis conſimili Pſeudophallo, quo Salaces Virgines, libidinis impatientes, ſeipſas deludunt, ac mulcent, Virginalis Clauſtri temeratio ſequi non poſſit .... ideo ſi prima, aut altera vice defloratio non ſequitur, contingeret nihilominus repetitis titillationibus, & immiſſionibus, quæ niſi fortes ſint æſtuanti Virgini, & genitalibus ſpiritibus furentibus non ſatisfacerent, non explerent aviditatem. An non ſunt hiſtoriæ Salaciſſimarum Puellarum .... centum illius imprimis, quæ acu illa capitata craſſiori, dum uterum titillaret in voluptatis dulcore .... acum in uterum reliquit* = Quæ intereà Mulieres dumtaxat Virgines remanent, quia â Viri congreſſu immunes, intra Vaginam ſemen non recepere, ſed non amplius Virgines, quod Membranam hanc, ſuis malis artibus, lacerarunt, quod ſæpiſſimè Peritos eludit, dum data occaſione eas recognoſcunt, & nullum reperientes ſignum Virginitatis, aſſerere coguntur interdum defloratas eſſe, quæ adhuc honeſtæ ſunt, eò quia ad inſtar Mulierum, realiter corruptarum, tali velamine carent, & ſigno diſtinctivo Virginitatis, ut alibi dictum fuit, quæ tamen Viro primum ſe conjungentes, ſi occaſio ſe dederit ferendi Votum de earum Virginitate, nequeunt aſſeri modo defloratæ, vel antea, cum perditum eſſe poſſit Virginitatis ſignum malitiâ, caſu, vitio abſque ullatenus Virili congreſſu.

 15. Nec

15. Nec ſiquidem ſanguinis effuſio in primis earum ſuppoſitis Deflorationibus valet ad declarandam hujuſmodi Fœminarum Virginitatem, nam eadem evenire poteſt effuſio in non Virginibus, ſciſſurarum causâ, quæ fiunt in Aditu Vaginæ, ob Penis introductionem, quod ſatis confirmat nullum alium dari poſſe ſignum univocum, & diſtinctivum Virginitatis præter Hymenem, nam ſanguinis effuſio in Viduis, & Conjugatis æquè ac in Virginibus poteſt occurrere; Teſte *Zacchia Medico-Legali quæſt.* 1. *num.* 26. ibi = *Vidi ego quæ à coitu diu, ob Mariti abſentiam, vel infirmitatem abſtinens, cum denuo concuberet ſanguinem effunderet; & pudicam Viduam novi ſecundo nuptantem, ſanguinem effudiſſe, cum primum ſecundo Viro coniungeretur; biennio autem violata, & cælibem vitam ſervaverat* = evidentiſſimè itaque conſtat ſanguinem non efficere Virginitatis amiſſæ probationem, ſed tantum Hymenis lacerationem, nam intervallo temporis, ac remediis poſſunt ita conglutinari partes, jam antea diſruptæ, ut denuo ob lacerationem Canalium ſanguiferentium, per Pudendum Sanguis erumpat, qui ſicuti Virgines, defloratas commendet.

16. Nec obſtat quæ opponere ſolent ii, qui manifeſtiſſimam Membranæ Hymenis exiſtentiam inficiari audent, nempè ex eô, quod in nonnullis Pueris velamen aliquod reperiatur, quod Ani Orificium obturet, ferroque opus ſit, ad hoc ut excrementa proſiliant, in plerisque verò non ità; non poſſe attamen dici defloratos illos, qui hâc Membrana carent, cum non eadem intercedat Ratio inter imperviam Membranam illam, quæ Ano Pueri obverſatur, (quæ etiam interdum in Ano Virginum reperitur) & celeberrimam Membranam, Hymenem dictam; nam impervia Membrana illa Ano obverſata, eſt Naturæ defectus ideoque non ſemper, & in omnibus reperitur; Membrana verò Hymen Naturæ ejuſdem Conſilium, ad Virginitatem ſervandam, adeòque ſemper debet eſſe præſens in intactis Virginibus, quod valdè comprobat Experientia, cum in Virginibus illis, quæ Membranâ iſtâ impervià, defectuosâque in Ano ſunt præditæ, minime quoque Membrana Hymen deficiat; ideòque dum Hymen deficit, quæ cer-

tum

tum, & invariabile Virginitatis eſt ſignum jure meritò deflorata aſſeritur Virgo, non ità verò ſi altera deſit Membrana, quæ ex Naturæ joco, ut ſextus in manu digitus, vel pede, oritur, quod raro evenit & per accidens. Præterquamquod obſervatu venit Hymenem ſemper eodem ſitu eſſe poſitam, iiſdem Vaſibus eſſe contextam, ſemperque ſtabilem eſſe, abſque variatione, & quamvis non ſit perforata, ut aliquoties accidit, eſt tamen ipſamet Hymen, quam Antiqui, & Moderni Anotomiæ Profeſſores animadvertentes, eam pro Virginalis Clauſtri ſigillo libentiſſimè receperunt, ex cujus laceratione, & fracturâ non amplius clauſtrum Virginale Clauſum aſſeritur, ad eum modum quô non amplius obſignatum Plicum dicitur, cujus impreſſio ſit fracta, & ſigillum; Qua de Re dum Hymen minime apparet, ſemper ablata Virginitas ſuſtinetur, non item ſi in Ano Membrana illa deſit impervia, & defectuoſa, quæ ex Naturæ joco, & defectu generatur.

17. Cum igitur conſtans ſit, & indubia, ut ad evidentiam uſquè monſtravimus ſubſtantia, ſitus, Figura, & Exiſtentia Membranæ Hymenis, ſi fortaſsè accidat ferendum eſſe de Defloratâ Judicium, valdè cavendum eſt, nè prudens, ſapienſque Peritus, in Virginibus inviſendis, decipiatur; cum tot, tantæque eſſe poſſint Cauſæ, quæ deflorationi in Virgine, abſque Viri Congreſſu, concurrunt. Ut igitur omnis tollatur dubietas, & periculum amittendi propriam æſtimationem, alterius Famam, & Vitam fortaſsè; ſi hoc eveniat, prius fiat in Homine Recognitio, dummodò præſens ſit, & ſtatim haberi poſſit, inſpiciaturque ipſius Pudendum, cautè obſervando, an ſit contuſa Glando, & an maculæ adſint, & Livedines, Præputiumvè alteratum ſit, & conſueto naturali colore permutatum, & fortaſsè in ſummitate aliquoties laceratum; an ipſius Frænum recenter ſit ruptum, Sanguinemque emiſerit; Quoniam ſi adſint in Viro hæc, & alia ſimilia ſigna, ab Auctoribus præſcripta, (quæ ſuperfluum eſſet hic recolere, cum ſint pro manibus omnium) certum eſt præcluſum inveniſſe Muliebrem ingreſſum, â Membrana Hymen obſignatum, & ad eam diſrupendam, lacerandamvè violentis conatibus opus fuiſ-

 ſe,

ſe, ob quos Penes debuerat offenſus remanere, & dolore affectus, quod e contrà non eveniſſet, ſi anteà Mulier MEMBRANAM HYMENEM, Signum Virginitatis amiſiſſet, internis, aut externis, ſuperius adductis, cauſis violatam, atque deperditam.

18. Quoad vero Mulierem, quod maximoperè eſt perpendendum, prius debet Peritus, ad hoc ut bene fungatur munere ſuo, animadvertere, an ſit vilis Puella, Paupercula, & inhoneſta, & conſueta ire ſola per Civitatem, & in Facinoroſorum Conventiculis immorari, ſicuti in Domibus Hominum, minimè ſanguine conjunctorum, cum hæ faciliores ſint ad inhoneſtos Actus perpetrandos, in quibus Peritus facilè eludi poteſt, & hâc prævia animadverſione, debet, præcluſo Fiſſuræ Magnæ Orificio, Ejuſque labiis non minus manu, & digitis dilatatis, attentè Pudendum inviſere, ut poſſit diſcernere, an Labia eadem ſint contuſa, ac Suppurantibus Inchimoſis interdum referta, necnon advertere, an hujuſmodi Livedines, aut Contuſiones protendant intra Fiſſuram Magnam, in Muliebribus Lagunis, in Ninphis, Radicibus Muſcularibus Clitoridis; & ejuſdem Præputio, uſque inſuper ad Foramen Uretræ, Ejuſque adiacentes partes.

19. Attentè inſuper Vaginæ ingreſſus in Muliere eſt inſpiciendus, ut in eâdem quoque diſcerni poſſint, an extent Livedines, Sciſſuræ, & potiſſimum MEMBRANA HYMEN diſrupta, & lacera, cujus ſint fragmenta pendentia, conglutinataque præfato Ingreſſui, ſanguine in ipſo coagulato, conſperſa, & in Membranaceis ejus elationibus â Pene diſruptis, tanto Partium dolore, ut capax ſit impediendi paſſæ ſtuprum liberum ambulandi motum, ſaltandi, è Domo exeundi, & longum iter ſuſcipiendi; ita, ut hujuſmodi partes medicamine indigeant, fomentis præcipue Annodinis, per aliquot dies, ut Egomet ipſe ſæpiſſimè in ſimilibus caſibus conſului, ut libere è Domo egredi poſſit; & talibus tunc exiſtentibus ſignis pluſquam manifeſta apparet recens Virginitatis amiſſio; atque eo magis ſi poſt diei unius, aut alterius intervallum, viſitatâ iterum Puellâ, illius Meatus reperiatur anguſtior, ac ante, quod præcipuè in tenerioris ætatis Puellis ſolet occurrere ob nervo-

ſas

ſas Contractiones , quæ laceras partes ad reſtringendum convellunt, ut in Vulneribus: At ne hoc quidem conſtanter firmat Hominem eſſe Reum tali crimine; Nam evenire poteſt, & fortaſſe eveniet, hujuſmodi defloratas hodie a Titio (miſeras, præcipuè, viles, & per Vias ſolas, & Cauponas pergere conſuetas, in Conventiculis Hominum, quæ dignæ poenâ eſſent eâ item, ac Stupratores) hodie inquam ab uno defloratas precibus, illecebris, ac promiſſionibus ad id adductas, cras ab altero vi, & pecuniis deturpari, & corrumpi; unde in Judicium hâc causâ delatâ, & verecundiâ, Lucro, aut pravis aliorum Conſiliis deducta Mulier, alium accuſet, alterum reticeſcat, & forſitan certè Reum. Ita ut luat ille pro delicto poenas, qui minus eſt nocens, illus vice, qui verè Stuprator fuit, & eô magis quod, dum recognoſcitur Mulier, delictum quidem diſcerni â Perito poteſt, ſed non verus Reus, nì prius immediatè antè, & poſt delictum Utriuſque Partes, & Pudenda inſpiciantur; Quod cum ſit actu impoſſibile, & cum Deus ſolus, & Foemina id ſcire poſſint, nè Peritus quidem certò Judicium proponere valet, ut Reus quis conſtituatur, abſque evidenti periculo ſui ipſius, alterius Famam, & forſan Vitam tradendi, ut optimè ex Moſaicâ etiam Lege deducitur *Deuteronom. cap. 22.* = *Seniores Populi dicebant : An Virgo illa depoſita fuiſſet judicare non potuiſſe*, & paulò ſuperius = *Si duxerit Vir Uxorem, & poſtea odio habuerit eam, quæſieritque occaſionem qua dimittat eam, obiiciens ei nomen peſſimum, & dixerit uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inveni eam virginem, tollent eam Pater, & Mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad Seniores Urbis, qui in Porta ſint, & dicet Pater : Filiam meam dedi uxorem huic, quam quia odit imponit ei nomen peſſimum, ut dicat non inveni filiam tuam Virginem, & ecce hæc ſunt ſigna Virginitatis filiæ meæ, & expandet veſtimentum coram Senioribus Civitatis* = *hæc Sacræ Scripturæ verba dari certum Virginitatis ſignum luculenter demonſtrare videntur* = *Raynerius* inquit *cap.* 5. *pag.* 105. qui poſtmodum ratiocinans oſtendit difficile eſſe, ni fortè impoſſibile oſtendere, & ſimilibus ſignis cogno-

gno-

gnoſcere primum Hymenis defloratorem = ibi *Hiſcè poſitis dicendum erit linteum illud cruentatum, cujus mentio ſit in Deuteronomio ſignum quidem virginitatis eſſe, ſed neque proprium, neque inſeparabile; adeoque neque certum cenſeri poſſe* = Quâ de re doctiſſimus Juris Conſultus *Benedictus Joſeph Torre in ſuo Tract. de Grimin. & pœnâ Stupri, in Argumen.* 48. §. *Seu : num.* 36. *cum litt.* (*A*) *in margine pag. mihi* 195. ait = *Sit igitur hic Judex* (& Nos jure meritò dicemus) *ſit Peritus diligentiſſimus, & celerrimus, ut monet Coſpius: celerrimus inquam, nam ſi magna non adfuerit improportio inter craſſitiem membri Virilis, & capacitatem vaſis Fœminei, nulla ex coitu eveniet fractura, ſed circa orificium vulvæ apparebit tenuis quidam circulus ſubrubeus, & quaſi ſanguinolentus, indicans conatum ſtuprantis, in eadem corporis parte, qui tamen brevi dierum intervallo ex ſe reſolutus evaneſcet: Quinimo licet in primo illo coitu acciderit deſtructio panniculorum, & Caruncularum ſimul cohærentium, adeo invicem modico temporis ſpatio in priſtinum redeunt, ipſo etiam cruore, qui tunc manavit, mediante (in puerili præſertim ætate, in qua teneræ carnes facilius poſt fracturam coaleſcunt) ut majorem interdum anguſtiam præſeferant, quam ante ſtuprum: atque ita nedum à Chirurgis cognoſci nequeat fractura, ſive, ut ipſi ajunt, coarctatio: Sed forſan ab Obſtetricibus, fallente eas rei apparentia, puella conſtuprata pro Virgine judicabitur, multo autem celerius detumeſcet in Pene tumor ille, contractus à ſtuprante ex violento ingreſſu in vulvam Puellæ, nimis anguſtam, quapropter ſi reus in carceribus detineatur, nulla interpoſita mora, inviſendus erit, in eo præciſe membro, in quo veſtigium hoc reitatis conſpici poteſt.*

20. Deficientibus itaque ſupra recenſitis Virginitatis Indiciis, & præcipue Membrana Hymene non apparente; ſi ab effuſione dumtaxat ſanguinis ſtuprum recenter fore patratum contendatur, aut fortaſſe a ſciſſuris, Rugiſque dilaniatis in Mulieris Pudendo apparentibus; nullo modo conſtare poteſt de Corpore delicti, nec certa, recens tamen, Defloratio per Peritos aſſeri poteſt, nec â quô


Vi-

Viro patrata ſit, tum ex ſupra adductis Rationibus, tum etiam quia in nonnullis Mulieribus ita forſan relaxatæ partes reperiuntur, ut humores, qui Vaginæ Aditum non reſiſtentem interdum, & propter Effluvia aut menſtruoſa, aut Cloroſa, aut ſimilia, relaxatum partim, partimque humentem inveniunt, cedere, & dilatare faciant, ac ſubmittant eaſdem, unâ cum Virginali Meatu, quod ita eventu facile eſt, ut aliquoties etiam poſſit occurrere, quod ob eamdem Relaxationem ſemen in Utero prolabatur, abſque Canaliculorum, & Hymenis jacturâ, ex quô provenit tumeſcere Ventres, antequam Hymen dilanietur, quod occaſionem dedit Peritis, & Mihi pluries, ferro Membranam illam ſcindendi, ut Graffius affirmat *pag.* 106. dicens = *Probatur primum, quia non ſolum Virgines cruentum reddunt Linteum etenim incorruptæ dolo malo ſanguinem coeuntes emittunt, & rerum venerearum Tyronibus imponentes, eos ſeſe defloraſſe falſo affirmant, ac inſuper ſine Penis in vaginam immiſſione illeſæ omnino vaginæ orificio coarctatione quandoque concipiunt, quatenus ſcilicet uterus per fibras carneas ſecundum vaginæ longitudinem excurrentes deorſum tractus breviori Peni occurrit, & eouſque in Salacioribus deſcendit, ut ejulatum per foramen ſemen hiante oſculo excipiat* = Præterquamquod Mulieres ipſæ, doloſæ ut plurimum, & fallaces, lucro, perſuaſionibus, & aliorum Conſilio inductæ, ut ſuperius diximus, exquiſitam Peritorum artem, in Inſpectionibus peragendis, poſſunt paſſim eludere, ut accidiſſe affirmat *Eugenius epiſt. Medendi Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. *poſſunt ejuſmodi fraudes, ut viderim ſex probatæ famæ Obſtetrices Mulierem quamdam judicaſſe intactam Virginem, quæ ſeptem antea menſibus puerum pepererat* = quod etiam *Hyeronimus Capivaccèus Patavinus* Medicinæ, & Philoſophiæ Profeſſor præclariſſimus, in erudito *Opere Medico*, obſervat *lib.* 4. *pag.* 166. *in cap.* 11. inſcripto = *In humano Genere Virginitatem non poſſe certè, & indubiis Notis adſtrui* = in cujus fine hæc leguntur: ibi = *Quamobrem Defloratio vel Naturâ tegi, vel arte ita occultari poteſt, ut interdum etiam Periti Medici, & Obſtetrices falantur.* =

21. Quæ cum ita ſint, luce meridianâ clarius evincitur nullum

lum aliud dari poſſe diſtinctivum, & univocum ſignum Virginitatis, niſi toties præmemoratam MEMBRANAM HYMENEM, ſeu Eugion dictam: Cæteraque omnia facile poſſe peritiores decipere, cum ex diverſis, & interdum internis cauſis poſſint occurrere, quod evidentiſſime probat cavendum eſſe ab Judicio recentis Deflorationis, niſi cautelis adhibitis quæ â ſapientioribus ſupra relatis adducuntur, ne propriæ æſtimationi, alterius Famæ & interdum Vitæ periculum inferatur.

FINIS.


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
VIIII
X
TAB. VIII. Orig. di Gaet. Petrioli